Digitized by Google

Digitized by Google

ELEMENTA
SACRAE HERMENEUTICAE
SEU INSTITUTIONES AD INTELLIGENTIAM

SACRARUM SCRIPTURARUM

F. HYACINTHI ARIZZARRA

ORD. PRÆD. IN ACAD. MUTINENSI SACRAR. LITERAR.

ET LINGUAR. ORIENTAL. P. O. PROFESSORIS.

Opus utilissimum Theologis, ac praecipue Parochis, & sacris Oratoribus, nec non Juris utriusque Consultis, & iis omnibus quibus vel interpretes consulere, vel genuinum per se Scripturae sensum investigare contingat.

CASTRINOVI CARFAGNANAE, MDCCXC.

TYPIS SOCIETATIS

CUM ADPROBATIONE.

Digitized by Google

Digitized by Google

EXCELLENTISSIMO AC REVERENDISSIMO

PRINCIPI

ALOYSIO RUFFO

APAMEAE ARCHIEPISCOPO

SOLIO PONTIFICIO ADSISTENTI, LEGATO APOSTOLICO

AD REGALEM ETRURIAE CORONAM.

EXCELLENTISSIME AC REVERENDISSIME

PRINCEPS

INſtituenti mihi Sacrae Hermeneuticae elementa communi omnium utilitati exponere, statim subiit in men-

24

tem , EXCELLENTISSIME ac REVERENDISSIME PRINCEPS, ſi quem inter ſummos , ac graviſſimos viros, huic operi , qualecumque ſit , exoptarem Auſpicem ac Patronum , proculdubio non alium praeter Te ipsum eligere potuisse. Etenim veterum Scriptorum Hebraicorum opera etsi hominis manu exarata ſint, attamen quae literis conſignarunt, cum nonniſi ſuperne ab infinita Dei Sapientia accepiſse constet , profecto non modicam ſibi existimationem vindicant documenta illa, quae viam abſque ullo diſcrimine sternant ad aſſequendam eorumdem intelligentiam. Fateor equidem ex puriſſimis hauriendi fontibus continenter me fuiſſe ſollicitum, nihiloſecius cum datum mihi perſenſi, ea tui Nominis magnitudini atque ampliſſimae auctoritati inſcribere poſse , jucun-

diſſi-

Digitized by Google

diſſimo perfuſus ſum animi ſenſu; quandoquidem non ſingulare tantum, sed decus omne, quod fortassis, utpote ab ingenii mei tenuitate congesta, non deerunt qui judicent, amiſiſſe, eisdem acceſſurum plane intellexerim. Vetuſtiſſimae ſiquidem ac praeclarissimae Scillae Principum Gentis multis iam retro saeculis pervagatam gloriam confirmatamque eſſe indubia crebro teſtantur Hiſtoriae monumenta, quibus inſtruimur ex ea prognatos fortiſſimos Viros qui ſtrenue dimicando ſe geſſerint, ſapientissimos qui in Rerum publicarum gubernatione ſubditorum foelicitati unice conſuluerint, ac denique ſpectatiſſimos qui omnium virtutum genere ſupremo Eccleſiae Senatui, in quem cooptari meruerunt, ſplendori fuerint & ornamento. Quo factum eſt ut non intra Italiae*

* Vide inter alios Murat. in Ann. Ital. & in Collect. Hist. Italor.

Italiae fines ſolum celeberrima habetur; ſed & Europae etiam, proindeque nil mirum ſi ii pariter qui regia dignitate fulgerent, aliquando cum ea cognationem & affinitatem libentiſsime iniverint. Aſt ſi in tui generis antiquitatis cum nobilitate coniunctae commemoratione, & gloriae Majorum in ſpem adducor validiſſimi huic meae elucubrationi praeſidii, eo vel magis erigitur animus, dum recolo, quod illuſtriora virtutum inſignia, quibus floruere qui Te aetate anteceſſerint, Tute ipſe cumulate poſſideas. Si enim graviſsima munia, quibus functus es Romae, ingenuam illibatamque morum integritatem expoſcunt, & penitiorem exquiſitamque in humanis diviniſque diſciplinis cognitionem cum religionis zelo & juſtitiae, ac potiſsimum chriſtianae prudentiae laude arctiſsime copulatas; eiſ-

dem

Digitized by Google

dem certe eximiis animi dotibus, ac praeſtantiſsimis facultatibus Te exornatum una eſt omnium consensio comparuiſſe ſemper, vel cum ſententiam in summis Magiſtratibus diceres, vel partes teneres in publica Urbis procuratione, vel Religionis jura defenderes. Hinc sapientiſsimo conſilio proviſum eſt a Romanae Sedis Pontifice Vigilantiſsimo Sanctiſsimoque PIO SEXTO, ut Legatione apud Regiam Magni Etruſcorum Ducis Celſitudinem fungereris, atque ita virtutem, quae palam commendabatur in Urbe, exteri etiam jugi experimento admirarentur. Neque eum fefelliſſe opinionem explorata res eſt. Et ſane contingere haud aliter potuit, cum in quarumcumque rerum tractatione abunde oſtenderis, Te nihil non agere, proferre nihil, quod non fluxerit perpetuo ex principiis illis, quae natura inſeruit in cordibus hominum,

Et

Et sublimioribus etiam, quae Divina Sapientia proprio ore enunciavit viam commonſtrando honeſtissimae, qua nulla melior, Et ad omnia ut decernit Apoſtolus utilissimae vivendi rationis, Et consuetudinis. Verum orationi huic meae, ſi diutius in tuis laudibus efferendis verſetur, cum verear fore Tibi non mediocriter gravem tuaeque modeſtiæ inimicam, finem imponam. Rurſum itaque Te obſecro atque obteſtor, ut ea, quam Tibi familiarem eſſe mecum omnes fateantur oportet, comitate, humanitateque hanc licet tenuissimam grati animi Et obſervantiae erga Te meae ſignificationem excipias, interea dum diuturnos tibi a D. O. M. adprecor fauſtosque dies summo humanae reipublicae bono, Et Eccleſiae decori atque incremento.

PROOE-

HERMENEUTICÆ SACRÆ

PROOEMIUM

AD B. L.

NEminem in sacrarum Literarum studio nedum excellere, sed ne progredi unquam posse, recepta communiter & adprobata sententia est, nisi prius cognitas habeat atque exploratas regulas illas, quae ad sacri Textus intelligentiam viam parant, atque commonstrant. Hinc proculdubio suo deesse muneri eos omnes existimandum foret, quibus in publicis Academiis de sanctis Scripturis disserere demandatum est, si in enodandis, quae institui possunt, quaestionibus inveniantur duntaxat solliciti; de regulis vero, quae huic operi inserviunt, sileant omninò. Etenim eas etiam tradi necesse est, ut audientium animi ita comparati, quae dixeris, haud sine ratione adprobent, ac deinceps sacrorum Scriptorum mentem investigare per se, & attingere valeant. Equidem si dolendum summopere est in nostra aetate ab ingenti hominum turba premi veterum in contemnendis Scripturis revelatæ Religionis hostium vestigia, ut philosophiae, quam sibi fingunt, placita impudenter extollant: haud minus verendum quamplures ex iis etiam qui rebus sacris addicunt se, in hoc studii genere licet praestantissimi parum aut nihil versari: non eodem certe consilio, sed quia minime edoctos atque institutos in disciplinis illis, quae veluti media agnoscuntur sensum eruendi verborum Dei. Ex quo saepe fit, ut, si eos contingat super alicuius textus germanam expositionem cum hisce philosophis congredi, hi ex eorum-

dem

dem perſpecta imperitia, in praeconcepta contra Scripturas opinione ſeſe confirmandi occaſionem arripiant. Modo itaque optimæ verborum Dei interpretationis praecepta omnia complectimur, quae pluries in ſcholaſticis exercitationibus proponere conſuevimus, ut Eccleſiaſtico viro validiſſima ſuppetant arma refutandi eos, quibus vel earumdem nomen male audit, vel ſolemne eſt teſtimonia praepoſtere interpretari; ac ut demum efficiat, uberrimam, quae in ipſis continetur, doctrinae copiam caeteros aſſequi poſſe. Verum ſi turpe ſit, illos qui ad Sacra Religionis tractanda ex voto accedunt, in arte exponendi ſacros Codices peregrinari, cum ipſorum proprium ſit ac ſingulare munus ſcientiam cuſtodire, quae a Deo tamquam auctore ad homines delapſa eſt; hanc tamen non penitus ignoratam volumus ab iis, qui hoſce libros ad integerrimam vitae rationem inſtituendam excurrere cupiunt; alioquin quamplura ipſis laterent ſcitu digniſſima, & quod deterius eſt, propter non infrequentem obſcuram verborum ſignificationem, ac ſententiarum profunditatem, aliquando in erroris diſcrimen laberentur, ac ſaepe dubitarent quaenam inter varias interpretum opiniones eligenda foret. Denique ſi Scripturarum ſcientiam vehementer Iuriſperitis commendant doctiſſimi viri, uti Stuvius Heineccius, Petrus Regis, aliique, cum praeclara multa hauriri probe noverint ex judaicae republicae regiminis, atque cunctarum Legum cognitione ad quamlibet bene ordinateque efformandam ſocietatem; non eſt cur negemus, Hermeneuticam ſacram ipſis quoque neutiquam fore neceſſariam.

Habes igitur, ingenue Lector, opuſculum, in quo huiuſce facultatis principia omnia traduntur; proindeque, quicumque ſis, valde tibi profuturum confidimus. Licet autem rerum inventoribus debeatur multum, aliquam tamen commendationis partem ſibi quoque vindicant, qui cæteris

teris

teris emolumento sunt, subsidia in rerum inventarum copia parando, illarum naturam distinguendo, ac supervacaneas secernendo ab utilibus, & novam ad scientiarum incrementum invehendo supellectilem. Et sane utrosque de bonis artibus bene esse meritos communi sapientum suffragio constitutum intelligimus. Cæterum si præcipua harum institutionum capita ex optimis adprobatisque scriptoribus operose complexi sumus, atque ubi expedire iudicavimus, illorum etiam verbis tibi exhibemus; ob eam unice causam factum existimes, ut illud ipsum tivi eruditioni, atque adiumento foret, atque maiori in pretio institutiones claris nominibus commendatas exciperes ac teneres. Hæc sunt, quæ te in limine operis, candide Lector, commonere visum fuit, ut elucubrationi huic nostræ aequo ac benigno animo faveas.

Digitized by Google

Ne dicas quid est mihi opus, & quae erunt mihi ex hoc bona?

Eccli. XI. 25.

Digitized by Google

HERMENEUTICÆ SACRÆ

CAPUT I.

De necessitate Divinæ Revelationis.

IN adstruenda divinæ revelationis necessitate quamplures adlaborarunt doctissimi viri, quorum argumenta omnia si persequi in animo esset, ab instituti mei ratione longius excurrerem. Silentio tamen disputationem hanc omnino præterire nefas erit, cum huic veritati veluti fundamento sacrarum Scripturarum dignitas innitatur & excellentia, de qua etiam sermo instituetur. Paucis tamen rem omnem absolvam dilucide, & accurate. Statuta semel Dei existentia rerum omnium opificis, consequitur statim præstanda ab homine esse erga beneficentissimum sui auctorem obsequii ac subiectionis officia, atque ita institutum esse oportere, ut naturæ ordinis conservationi se attemperet, quemadmodum peculiari vi sibi insita reliquæ creaturæ ad eumdem servandum continenter abripiuntur. Constat siquidem cætera omnia quæ a Deo condita sunt, ad huiusmodi opus quadam trahi, & impelli necessitate, hominem vero a ratione suaderi, atque obstringi. Hoc autem negaturum neminem certum est, nisi atheum, contra quem modo non disputamus. Illud tamen animadvertendum est, quod licet nulla un-

quam fuerit, uti notat Tullius, tam effera gens, penes quam aliqua religionis species non obtinuerit, aut saltem ex præsupposita supremi Numinis existentiæ cognitione ad id teneri se non intime sentiat, oportere tamen ut cuilibet hominum, ne in officiis, quæ inde dimanant, adimplendis turpìter erret, quod ipsi a religione præscribitur clare innotescat. Quæ enim omnibus hominibus communes sunt leges, haud dubio unum vel alterum neutiquam patiuntur in illarum ignoratione versari, cum singuli earumdem legum observantiæ teneantur. Cum res itaque ita se habeat, si nulla a Deo data sit homini revelatio quamplurium veritatum, quæ vel leges sint, vel tutissima lègum principia, ex quibus commode eruantur; erit profecto solius humani intellectus illarum investigatio, & intelligentia; cui quidem labori nequaquam parcendum, cum a natura Dei expetatur, qui colendus est, & hominis etiam, ut perficiatur, ac Deo, quæ ipsi debentur, jugiter præstet, & quæ caeteris creaturis.

Verum spectata hominis indole, atque consultis omnium gentium historiæ monumentis, universalem atque ab omni prorsus labe immunem de officiis doctrinam neque comprehendi ab humana tantum ratione, & eo minus tradi posse, neque hactenus id factum fuisse facili negotio comprobatur. Porro nullam esse tam arduam ac perdifficilem humanæ mentis operationem, communis est tum veterum, tum recentiorum philosophorum consensus, quam ex Dei naturali cognitione officia omnia depromere quæ ad illius cultum spectent, ac morum honestatem, atque in omni munere vitæ quid optimum sit, & verissimum accurate definire. Quapropter si iniurii nequaquam sumus rationi hominis, cui certe non pauca suppetunt ad naturæ operum disquisitionem præsidia, si fateamur plura esse in humanis disciplinis,

quæ

Digitized by Google

quæ non satis adhuc enucleata sint, ac dubio non careant, atque alia permulta ita abdita & involuta, ut etiam gravissimi doctissimique viri iam spem omnem assequendi prorsus abiiciant, ac inter naturae mysteria conlocare non dubitent; quis non videat in maximo omnium humani ingenii conatu, nimirum in peculiari religionis & honestatis concinnando systemate hallucinaturum saepius philosophum, & a veritate longissime discessurum fore? Illud enim in eo constituitur ut quo sint bene vivendi recteque agendi consilia referenda moneat atque decernat, quid sequatur natura ut bonum, quid fugiat ut malum. At ad hoc opus, teste ipso Tullio, infinitae propemodum arcessendae sunt rerum omnium ideae, & quod difficilius est, illarum naturam ita exploratam habere necessum est, ut inter se consociari simulque coniungi desiderent clare ac distincte agnoscatur, sicuti etiam quae ab invicem repellantur, quod certe humanae menti nequaquam datum est. Etenim nisi debilem atque imbecillum fateamur esse intellectum hominis, saltem finitum, suisque interceptum limitibus concedatur oportet, ex quo plane sequitur, ut quo altius meditando se extollat, eo magis errori subiaceat. Hujusmodi vero difficultatem augeri quam maxime ex prava humani cordis indole certissimum est. Depravatas hominum appetitiones nequaquam esse nemo defendet, nisi adfirmet, etiam non sine blasphemia, rerum ordini, ad quem caeterae creaturae vi quadam naturali impelluntur, ut servetur, hominem interea a Deo conditum destructioni, quo quidem humani cordis, si intime perspiciatur, mala cupiditas tendit. Si itaque hujusmodi labe se quilibet hominum inquinatum persentit, qui fieri poterit, ut ei nunquam cedat, ac potissimum in illarum actionum praescriptione, quae debeant perverso hominum appetitui continenter adversari? Sed in re minime dubia diu-

Digitized by Google

tius disputare opus non est. Id confirmatur luculentissimo Apostoli testimonio *ad Ephes.* IV. 17. 18. ubi docet Christianis non ambulandum esse, *sicut & gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei per ignorantiam, quae est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum*. Et sermonem instituens *ad Rom.* I. 21. seqq. de iis qui sapientiores existimabantur, licet concedat innotuisse illis aliquid virtutis divinae, attamen Deum sibi cognitum *non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus, & obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt &c.* Hinc enarrat fuisse *repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate*, evasisse etiam *susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia*. Si consulantur veterum monumenta, haec omnia tam late patet in ipsis tradi, ut possis dicere cum Bossuetio illorum praecipue historiam esse historiam vitiorum. Confer. Aug. lib. 22. de Civit. Dei cap. 22. Nonnullas hoc loco illustrium virorum falsas opiniones de rebus divinis, simulque de morum integritate commemorare juverit, ut liquido constet ad nostram usque aetatem in huiusmodi disputationibus deceptioni fuisse obnoxios. Ægyptiorum philosophorum deliramenta complectitur Diodorus Siculus *lib. 1. histor.*, sicuti & Graecorum Plutarchus *lib. 1. de philosophorum opinionibus*, ex quibus, si admitterentur, informe prorsus, Deoque indignum ex homine religionis systema aedificaretur. Socratem, atque Platonem licet plura eximie de Deo pronunciarint, tamen ad polytheismum postea secessisse merito colligit Augustinus *lib. 8. de Civ. Dei*. Sed Pla-

Platonis sententiarum quæ a vero abhorreant, libri illius *de Republica* fidem faciunt. Eum sequitur sæpissime Aristoteles, ex cuius de mundi aeternitate opinione sub ea ratione, qua incedit, quot derivent absurda nemo est qui non videat. Iniurias etiam vindicta propulsandas aperte docet. Tullius ipse, cui certe veterum placita & argumenta omnia notissima erant, Academicorum more disputationes de natura Deorum, deque finibus bonorum ac malorum transigendo, habendus est homo Academicus, nimirum qui in utramque partem copiose sapienterque disseruerit, sed tandem cui adhaereat, prorsus ignores. Et re quidem vera post longam de animorum immortalitate disceptationem concludit *lib. 1. Tusc. Harum sententiarum quæ vera sit, Deus aliquis viderit, quæ verisimillima magna quæstio est*. Absit itaque ut existimemus doctrinam quae ad mores ac religionem pertinet, puram & incorruptam, ut ratio omnis expostulat, ab antiquis philosophis nos accepisse; sed unam tantum quam discipulos suos docuisse Socratem memoriae prodidit Plato *in Alcibiade*, sententiam adprobandam decernimus, nimirum necesse omnino esse, ut quispiam, de cujus veracitate dubitari nequeat, homines de officiis non alio quam vocis ministerio instruat. Neque minus in re tam maximi momenti peccasse certum est recentiorum temporum philosophos omnes. Eorumdem aberrationes, quas non pauci praestantissimi viri adnotarunt, huc referre, & ad examen revocare non est instituti nostri. Luculentissimum tamen ad rem nostram ex illorum operibus generatim spectatis depromam argumentum. Certe si evolvantur ea omnia quae a Grotio conscripta sunt, Puffendorfio, Salmasio, Cumberlandio, Barbeyracio, Wolfio, Heineccio, Montesquieu (*a*), aliisque bene multis, qui sola

(*a*) Antonius Genuensis inter alia merito reiicit definitionem le-

sola ratione duce undequaque moratos satagunt efficere homines, non paucas illorum opiniones ac plura dogmata ita inter se collidi, secumque omnino pugnare manifestum est, ut argumentorum congerie, quibus se tueri conantur, uberrimaque eruditionis copia plerumque oppressum te sentias, & interea dubium, & ancipitem cui debeas adstipulari. Ex tanta igitur opinionum dissensione, perpetuoque conflictu satis superque patet non posse aliquid certi de tota humanarum actionum rectitudine definiri. Hoc autem si hactenus a philosophia praestitum non est ab orbe condito ad nostram usque aetatem, si aliunde non moneantur homines, in pluribus caecutiant oportet virtutis principiis, quam tamen Deus ab omnibus semper exigit, & ordo naturae exposcit. Observandum denique est philosophorum ethicen prodiisse post exaratam Scripturam, ac potissimum post Pentateuchum, cuius doctrinam vel legisse, vel audivisse celebriores non probabile tantum, sed ratum certumque est apud eruditos, sicuti & post universalem Evangelii cognitionem scripsisse neotericos. Quare nil facilius, ut quandoque comprobarint ratione quod oretenus acceperint. Hinc Joannes Lockius in libro *Le Christianisme raisonnable chap.* 14. sapientes illos, qui sibi non revelationis ope sed proprio intellectus acumine nonnulla detexisse blandiuntur, cum iis comparat qui firmitatis corporis causam praetexerent longi a se itineris brevi temporis intervallo decursi, minime attendentes quam debeant eorum labori gravissimo

gis quam initio operis proponit Montesquieu. Et sane mirum omnino est doctissimum virum, qui viginti annos impendit in pertractando de spiritu legum, labi in definitione subiecti, circa quod tota se vertit disputatio, quam in qualibet tractatione integram ac perspicuam desiderat Tullius.

vissimo qui depressis collibus, evulsis silvis, immanibusque praecisis saxis, atque aliis ad commodum iter sublatis impedimentis directam ac planam patefecerint viam. Pari ratione quia imbuti ab infantia quamplurium veritatum sub Evangelio, fieri potest, easdem ab humano intellectu facile percipi, ut nonnulli sibi suadeant: sed tamen de ipsis adhuc disputaretur, si lux Evangelii deesset nobis, easque auctoritas divina non comprobasset.

Si itaque indubium sit, quemadmodum a quolibet cordato viro fatendum est, imparem esse philosophiam ad omnes omnium hominum actiones juxta rectitudinem & iustitiam componendas, sapientesque viros in explanandis officiis deceptos saepe fuisse; quid profecto expectandum a reliqua hominum multitudine vel rudi prorsus & illiterata, vel quae animum ad huiusmodi investigationem aliis distenta curis appellere nequeat? *A fructu*, observat D. Thomas *lib.* 1. *contra Gent. cap.* 4. *studiosae huius inquisitionis, qui est veritatis inventio, plurimi impediuntur tribus de causis. Quidam propter complexionis indispositionem, ex qua multi naturaliter sunt indispositi ad sciendum. Quidam vero impediuntur necessitate rei familiaris: oportet enim esse inter homines aliquos, qui temporalibus administrandis insistant, qui tantum tempus in otio contemplativae inquisitionis non possunt expendere, ut ad summum fastigium humanae inquisitionis pertingerent, scilicet Dei cognitionem &c.* Verum dispensari a Deo huiusmodi homines a legis naturalis observantia nemo dixerit, unde quo ab iis confugiendum, ut hujus legis praecepta omnia ediscant? Fortassis fidem praestabunt iis, quos in meditando assuetos sciunt, ac in officiorum indagine continuo versari? Sed qua ratione illorum auctoritati assensum praebere poterunt, eorumdemque magisterio acquiescere, quos non ignorant potuisse hallucinari, idque manifeste se prodat

ex

Digitized by Google

ex frequenti opinionum collisione ac dissensu? Praeterea cum non in semetipsis solum difficultatem exequendi experiantur officia illa, ad quae excitantur, sed etiam in ipsis magistris, dubitabunt profecto, num naturae vocem reapse discreverint a pravis eiusdem cupiditatibus, ac saepe iudicabunt, quae ab illis traduntur cum natura hominis pugnare, atque ita proposita vitae documenta repudiabunt, ac deteriora sequentur. Haec notat memoratus Angelicus *loc. cit.* dum ait: *Tertium inconveniens est quod investigationi rationis humanæ plerumque falsitas admiscetur propter debilitatem intellectus nostri in judicando, & phantasmatum permixtionem. Et ideo apud multos in dubitatione remanerent ea quæ sunt verissime etiam demonstrata: dum vim demonstrationis ignorant, & praecipue cum videant a diversis, qui sapientes dicuntur, diversa doceri. Inter multa etiam vera, quae demonstrantur, immiscetur aliquando aliquid falsum quod non demonstratur, sed aliqua probabili & sophistica ratione asseritur, quae interdum demonstratio reputatur.* Insuper quaenam auctoritatis species inesse potest in quolibet magistro qui communi caeterorum infirmitati subiaceat, seque opere exequi renuat quod praedicet verbo? Quisnam unquam fuerit, qui aeque ac Christus caeteros potuerit provocare sciscitando: *quis ex vobis arguet me de peccato*, Joann VIII. 46. ac sua dogmata ita confirmare, ut homines nedum permoveri possent, sed teneri etiam sibi suaderent diligentissimae suorum praeceptorum obedientiae? Hoc argumentum tanti visum est nonnullis inter gentiles legumlatoribus, ut ob eam causam commercium cum Diis, licet nullo idoneo testimonio id comprobassent, ex industria effinxerint se habuisse, ac palam ediderint; ut leges quas conderent, non proprio arbitratu excogitatas, sed veluti coeleste donum

exci-

exciperent subditi, eisdemque non sine veneratione libentissime obtemperarent. Et sane quæcumque præscriptiones debita auctoritate destitutæ, si rectam vivendi formam proponant, plus solent reiici, eo quod si justissimae sint, plus corrupto hominum appetitui refragentur. Necesse itaque erat, ut purior hominibus omnibus affulgeret lux a Deo ipso, qui est summa veritas, diffusa, quæ tota in revelatione concluditur. Per eam siquidem factum est, ut tollerentur superstitiosae consuetudines in Dei cultu, per eam suppeditata cognitio creationis & servata memoria. Patefacta est humanæ infirmitatis causa, & indicatum necessarium remedium, ac purissimae divinorum attributorum notiones traditae sunt; veritas firmata futuri status humanæ naturæ, & instructi homines integerrimae morum disciplinae, & ad illius executionem compulsi propter sancitam contra illos, qui ab ea deflectant, æternae poenae comminationem, & obtemperantibus promissum incorruptibile praemium. Sed rem omnem cum Lactantio complectamur. Ipse *lib.* 1. *cap.* 1. *divinar. Institut.* sic ait: *Quia fieri non potuit, ut homini per seipsum ratio divina innotesceret, non est passus hominem Deus lumen sapientiae requirentem diutius oberrare, ac sine ullo laboris affectu vagari per tenebras inextricabiles. Aperuit oculos eius aliquando, & notionem veritatis munus suum fecit, ut & humanam sapientiam nullam esse monstraret, & erranti ac vago viam consequendae immortalitatis ostenderet.* Qui plura desiderat adeat Valsechium *de font. Religion. revel.*, Cerbonium *de princip. Jur. natur. ac gent.*, Concinam *de Relig. revel.* & *vol. 6. Theolog. Dogm. Moral. de princ. jur. nat. ac gent.*, Grotium, Clerchium, Burnetum, Lochium, ac in primis Bergerium in *Apolog. Relig. revel.* & Parà prope finem operis *de consensu revelationis cum ratione.*

B CA-

CAPUT II.

De Sacrarum Scripturarum praestantia,

variisque illarum nominibus.

INter opera, quæ hucusque conscripta sunt ac deinceps proferentur in lucem, nullum praestabilius excellentius nullum jure debet existimari, quam quod a sacris hebraeorum scriptoribus accepimus, si invicte demonstretur non quae ipsi excogitarint literis demandasse, sed ea tantummodo quae a Spiritu Dei exceperint, ita ut Deus ipsemet primus praecipuusque sacrorum librorum auctor habeatur. Si enim eo commendabiliora sunt opera quo ab ingenuo prodierunt & docto scriptore, quid de illius operis pretio judicandum, quod condiderit infinita Dei sapientia? Certe quae in illius commendationem veniunt neque complecti animo, neque verbis exprimi possunt. Scripturas vero a Deo tamquam auctore proficisci luculentissimum suppetit argumentum rerum omnium, quae in iis pertractantur, utilitas, semota qualibet vel levissima erroris macula, vel minimae deceptionis. Rem egregie confirmat Augustinus *lib. 2. de Doctr. Christ.* ubi ait: *quidquid homo in aliis libris didicerit, si noxium est, ibi damnatur; si utile est, ibi invenitur. Et cum ibi quisque invenerit omnia, quæ utiliter alibi didicit, multo abundantius ibi inveniet, quæ nusquam omnino alibi, sed in illarum tantummodo Scripturarum mirabili humilitate discuntur.* In confesso autem est apud omnes ita communem esse omnium hominum in intellectu

Digitized by Google

lectu defectum, communemque humani cordis corruptionem, ut nullum certe opus, quod etiam supra notatum est, ab iisdem proferri possit, quod non aliquid humanae imbecillitatis redoleat, neque ullum ita sedulo elucubratum, in quo decerni queat lapsum aliquando non fuisse auctorem ac crebro dormitasse, aut saltem quaedam propugnari ab eo, quae universalem sapientum hominum assensum non extorqueant; proindeque consequitur, si Scripturae infirmitatem hanc nullibi praeseferant, profecto adfirmandum eas divinae mentis perfectissimae ac sapientissimae exhibere magisterium, non secus ac pulcherrimum totius naturae ordinem. Hoc probatum abunde est a veteribus Patribus ac præsertim Irenaeo, Origene, Basilio, Gregorio Nazianzeno, Chrysostomo, Augustino, & Hieronymo. Lapsu temporis excreverunt siquidem infensissimi Scripturarum hostes, sed illorum impetu magis firmitas huius aedificii manifestata est, quod Dei manu constructum est atque roboratum. Praeter præfatos Ecclesiae Patres, illosque scriptores, quos *cap.* 1. commemoravimus, certe in Bergerii *apolog. Relig. revel.*, & clariss. Nicolai Spedalierii opere *contra Freretum* non solum refutata reperies argumenta adversariorum, sed uberrimam etiam doctrinam ac praeiacta fundamenta, quibus ab eorumdem cavillationibus dolosisque fallaciis te expedias. Haec cum nobis, qui alio tendimus, indicitasse sufficiat, id unum proponimus observandum, argumenta quae contra divinam Scripturarum auctoritatem a Petro Bælio vel colliguntur, vel acri illo suo ingenio excogitantur, qui quidem caeteris sibi similibus materiem propinavit fovendi exsaturandique odii in sacros Libros, si procul dubio valerent, neque de gradu demonstrationis deiici nunquam possent; ex inconcusso illo principio veritatem obtegi quidem aliquando, attamen de medio tolli non posse, ac tandem sese necessa-

rio prodere, jamdudum contigisset, ut una esset ac constans hominum mens in contemnendis Scripturis, & in fabularum censu cooptandis. Id autem neutiquam factum est, sed quæ subtilissima primo intuitu videbantur, lapsu temporis tamquam futilia neglecta sunt ab omnibus, ut penitus obsolescerent. Hostium quidem ingenii sublimitas id unum obtinuit, ut qui ad Scripturarum defensionem occurrerint, acrius dimicarent, atque excellentiam dignitatemque earum luculentius ostenderent. Victores autem ex huiusmodi concertatione nequaquam prodiissent apologistæ, si quidpiam, quod veritati consonum non est, in sacros codices irrepsisset. Etenim cum ubique quamcumque animi pravitatem accusent, & damnent, quam quidem omnes omnino homines continuo experiuntur, si liquido constaret falsitati obnoxios esse: tum boni ac cordati homines, tum mali in iis reiiciendis convenissent: isti quidem ut cupiditati latius indulgerent; illi vero cum plura inter illicita ac vetita ibi legerint, quorum tamen rationis imbecillitas non satis aperte fœditatem pronunciare videatur, si Scripturæ audiendae non essent, ea utique non repudianda decernerent, cum vix intelligerent num vere cum natura, vel potius cum naturae depravatione conveniant. Conferatur Stakuse Anglus Minister *in explicat. novi Testam. contra Antiscripturarios*. Huiusce veritatis testes etiam ii sunt amplissimi qui nefarie contra verbum Dei imperitos inter ac perditos homines criminationes secreto diffundunt; vel si palam, lepore quodam ac peculiari venustate sermonis ita exornare student, ne propositionum suarum falsitas ac turpitudo omnis illico deprehendatur. Post diuturnum tot saeculorum spatium ex quo literis demandatae sunt Scripturae, indigere adhuc illarum hostes terminorum involucris, ac subdolae elocutionis ambagibus, & oblectamentis tamquam necessariis praesidiis

in

in eisdem insectandis, inopiae procul dubio argumentorum, & infirmitatis luculentissimum indicium est. Sed audiamus Hilarium qui hisce verbis meritum Scripturarum exponit. *Si in viris*, inquit ille, *prudentibus expectari id maxime solet, ut ea quæ loquuntur, gravitate eorum, doctrinaque digna sint, omnisque sermo non sit fortuitus, & vagus, sed ex rationabilibus causis profectus, & expectationi audientium utilis, & auctoritati congruus disserentium: quanto magis id in coelestibus eloquiis opinandum est, ut, quidquid in his est, excelsum, divinum, rationabile, & perfectum esse existimetur; sed plerumque, immo semper vitio nostro accidit, ut quæ legi in Ecclesia audimus, auribus, atque animis nostris longe ab his peregrinantibus, negligamus, ut per audiendi incuriam vilescat apud nos dictorum coelestium dignitas. Cum in lectionis tempore rationes supputamus, iras concipimus, iniurias cogitamus, luxus recolimus; tunc ad hæc occupatis nobis surdæ aures sunt, & hebes mens est, & si quid forte in aures nostras eorum, quæ leguntur, inciderit, virtutem tamen dictorum obrutus sæculi curis animus non sentit, & quorum intelligentiam non consequitur, levem existimabit auctoritatem. Omnia autem, quæ in Libris sacris sunt, maximum humanæ & salutis & doctrinæ profectum in se habent, nostrique causa universa scripta sunt, ut nunc nobis institutionem vitæ innocentis afferrent, nunc scientiam Dei intimarent, nunc originis, naturaeque nostrae cognitionem tribuerent, nunc futurorum intelligentiam non spe tantum, sed ratione praestarent, nunc causas universitatis huius, ortusque proferrent, & humanum sensum tantarum rerum intelligentiae incapacem ad capiendam horum cognitionem variis doctrinæ generibus distenderet*. Eadem habet Hieronymus *epist. ad Paulin. Praesbiter.*, & copiose Augustinus in egregio opere *de Doctr. Christ.* Conferatur etiam

Digitized by Google

etiam Carolus Sigonius *praef. ad Histor. Sacr. Sulpit. Severi*, & Calmetus *praef. in Libb. Vet. Testamenti*.

Praetereunda non est disceptatio illa, in qua disputatur, utrum sacri Scriptores sententias omnes, quas scriptis consignarunt, & singula etiam verba a Deo acceperint, ita ut utrorumque immediatus auctor sit Deus. Ast brevi tollitur difficultas omnis, si semel concedatur scriptorem illum dici revera & esse a Deo inspiratum, eam Scripturam reputari divinam, si a Deo vel sententiæ in scriptoris mentem fuerint infusæ, vel eamdem ad eas, quae forent naturaliter cognitae, impulerit conscribendas, ita tamen ut scribenti peculiariter affuerit, ut veritati omnino congruerent sententiae; & caverit insuper ne ullum verbum, ullamque voculam in scripta illa irrepsisse contingeret, quae sensui, quem Deus ipse intendit, plene ac sincere non respondeant. Istud cordati viri necesse est ut concedant, cum ex huiusmodi divina adsistentia sequatur omnino auctores illos nihil aliud praeter id quod Deus voluerit, conscripsisse, & eo etiam modo exposuisse prout ipsi libuerit. Hinc adfirmare licet in rebus sublimioribus, profundique mysterii, vel quæ scriptori impervia omnino essent, mentem manumque scriptoris a Deo duci oportere per peculiarem illustrationem, & afflatum tum sententiarum tum verborum; in reliquis vero ita specialiter adfuisse ne quidpiam præterirent, quod conscribi voluit, & ad id conscribendum impulisse ea ratione, ut nunquam errori subiacerent, & in verborum usurpatione præfuisse assidue, ut illa seligerent, quæ sensum iuxta illius voluntatem perfecte exponerent. Fides quidem docet non humana industria & voluntate conscripsisse sanctos viros, sed interius a Deo fuisse inspiratos, uti loquitur S. Petrus 2. *Ep.* I. 21. Verum cum modum afflatus quoad singula haudquaquam assignet, quæstio istiusmodi transigenda est ratione

tione

tione duce, principiis tamen revelationis adiuta & illustrata. Si autem in nonnullis coelestis motio ad scribendum, & specialis Dei adsistentia scribenti sufficiat, ut quod scriptum est adfirmemus esse divinum opus, non est cur ibidem adstruamus novam a Deo notitiam de rebus iam clare perceptis ac actu cognitis, neque novam terminorum, si congrui & apti suppetant scriptori, inspirationem. Qui aliter iudicarent, profecto a verissima regula illa recederent, qua instruimur, non plus prodigiorum neque maiori gradu admitti oportere, quam postulet factum aliquod, quod absque prodigio & singulari divina vi fieri nequeat. Hinc statuendum est tum in rebus, tum in vocibus ipsis plerumque a Deo esse edoctos sanctos viros, sed interdum hoc non accepisse, quamvis semper sub divina adsistentia & auxilio conscripserint. Ipsemet Melchior Canus *lib. 2. de Locis Theolog.* fateri nequaquam veretur, illa quæ naturali cognitione tenebant, quæ scilicet aut oculis viderant, vel auribus audierant, vel manibus attrectaverant, supernaturali lumine & expressa revelatione non indiguisse sanctos illos viros ut scriberent; eguisse tamen Spiritus Sancti præsentia, & auxilio peculiari, ut licet humana essent, & naturæ ratione cognita, divinitus tamen, & sine ullo errore scriberentur. Et revera habemus ex Clemente Alexandrino *apud Eusebium lib. 2. hist. Eccl.*, ex Papia *apud eumdem*, & ex Hieronymo *de Viris illustribus*, atque ex aliis etiam, Lucam quæ ab Apostolis accepit ea scripto mandasse, ut ipsemet in Evangelii sui proemio testatur his verbis I. 2. 3. *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis; visum est & mihi assecuto omnia a principio diligenter ex ordine scribere &c.*; & Marcum quæ a Petro didicerat rogatum a discipulis scripsisse. Minime vero audiendi sunt illi omnes quos memorat Canus, quibus addi possunt Gro-

sunt Grotius, Stakusius *loc. cit.* & alii ex Protestantibus qui autumarunt Spiritum Dei sanctum reliquisse aliquando scriptores sacrorum librorum humanæ conditioni, & fragilitati suæ in aliqua historiæ narratione. Hic non immoramur in evertendis illorum argumentis, sed solummodo fundamenta exponemus quibus refutari queant. Si humano more aliquando locuti fuissent sacri Scriptores, eademque ratione scripsissent, falli etiam, ut homini saepe contingit, potuissent. Verum si in sacro quovis libro, ut ait Augustinus, una quælibet falsitas reperiretur, totius libri certitudo interiret. Deinde, prosequitur Canus, si sacræ literæ alicubi sine spiritu Dei sunt nobis traditæ, quid respondendum, quotiescumque miracula quæ in iis narrantur, commentitia esse clamitent infideles, & ad extollendam conficta Christi religionem? Rursus cuilibet definire licebit pro suo arbitratu quae gravia, quae levia in Scripturis haberi debeant, & quid ex Deo, & quid ex homine sit. Tandem anomaeorum exemplum praesidio esset haereticis, & nullum suppeteret ad eos convincendos firmissimum testimonium e sacris libris depromptum, cum ea se ratione tuerentur, quod auctor sacrae Scripturae eo etiam loco, qui a nobis affertur, non de spiritu Dei, sed de suo fuerit locutus. Sed de hac quæstione satis; atque ad ea pergamus quæ propius attingunt institutum nostrum.

Sacrarum Scripturarum libri varia sortiti sunt nomina tum apud hebræos, tum apud christianos. Hebraei suo more varias excogitarunt appellationes ex nonnullis textibus sacrorum Scriptorum depromptas. Scripturam siquidem appellant *Micrà*, idest *lectio* ex 2. Esdr. VIII. 8, item *Torà*, idest *doctrina*, *institutio*, & *lex*. Etiam *Chetav*, & *Mictav*, nimirum *scriptura*, & *scriptum* ex Exod. XXXII. 16., cui respondet *Graphis* apud Joann. XIX. 37. Ipsis quoque *Sepher Adonai* dicitur, seu *liber*

Domini

Domini ex Isaia XXXIV. 13., itemque *Meghillà*, seu *volumen* e Psalmo XXXIX. 8. (hebræis XL. 8.) appellatur quoque *Macdasciaia*, & *Beth micdasc*, seu *Sanctuarium Domini*, & *Domus sanctuarii*, quæ verba pro titulo apponuntur in nonnullis Bibliis. Pariter *Scripturae sanctitatis*, quem titulum usurpavit etiam Apostolus *ad Rom. I.* 2., & 2. *ad Timoth. III.* 15. Nomine etiam *vigintiquatuor*, scilicet libri appellantur Scripturæ ab hebræis per voces illas *Ghesrim arbanghè*. Per allegoriam nominant quandoque Scripturam *Callà*, idest *Sponsa*. Denique *Pasùch*, quæ vox proprie versiculi finem exprimit, methonimice versum ipsum, & per synecdochen universam Scripturam, unde apud illos *Bagal pasuch* est doctor biblicus. De hujusmodi appellationibus legatur Henricus Hottingerus *Thesaur. Philolog. lib.* 1. *cap.* 2. *sect.* 3. Inter christianos vulgatum est nomen *Bibliorum*, quo utitur Siracides *in prologo*, & sæpe repetunt Patres Græci. *Dei codicem* vocat Scripturas Augustinus *in Psalm.* LIII.; sicuti etiam *Instrumentum*, per quod innuitur actus authenticus, ordinario, tractatus, conventio; & sic Tertullianus *lib. de pudicit. cap.* 10. *&* *contr. Marcion. lib.* 4. *cap.* 3. Receptum quoque est nomen *Testamenti*, quod dividitur in *vetus*, *&* *novum*, inducto hoc nomine primum auctoritate Apostoli Pauli 2. *ad Corinth. III.* 14.; & quidem optimo iure, cum notet Hieronymus *in cap. II. Malachiæ* apud auctores profanos Testamentum non semper voluntatem defunctorum indicare, sed quandoque etiam pactum viventium. Alia etiam nomina data sunt Scripturis, uti *Bibliothecæ Sanctæ*, *Bibliothecæ* per excellentiam, de quibus omnibus legatur Du Pin *Dissert. prelimin. sur la Bibl. livr.* 1. *chap.* 1.

Digitized by Google

CAPUT III.

De Sacrorum Librorum Canone, deque auctoritate Ecclesiae in eo efformando.

Perspecta aliquantisper sacrarum literarum auctoritate, qua nulla maior concipi potest, cum divina omnino sit, modo de ipsarum canone pertractandum occurrit. *Canonis* nomen non unicam obtinuit significationem, sed a scriptoribus diversimode accipi notum est. Grammaticæ regulas vocat canones Ausonius *epigramm.* 128, legesque cuiusvis reipublicae appellat canones Aristoteles 2. *Politicor.* Apostolus vero *ad Galat. VI.* 16. dogma de abolita circumcisione canonem nuncupat. Sub alia quoque acceptione usurpatam legimus vocem hanc, ut scilicet exprimat seriem quamdam, numerum, collectionem, & catalogum. Sub priori ratione sacrum codicem recte appellaveris Canonem, cum integerrimae morum institutionis norma sit ac tutissima regula. Postremo autem sensu per canonem Scripturae Sanctae intelligimus catalogum sacrorum codicum, quos docet Ecclesia Spiritus Sancti afflatu fuisse conscriptos, & unumquemque illorum canonicum dicimus, quia ab eodem Sancto Spiritu acceperunt sacri scriptores. Qui primo apud christianos collegerit canonem sacrorum Librorum, teste Eusebio *hist. Ecclesiast. lib.* 4. *cap.* 25. fuit Melito Sardensis Episcopus, qui sub Imperio Marci Antonini floruit circa dimidium secundi Ecclesiae saeculi. Verum non quem agnosceret Ecclesia canonem texuit, sed illorum potius libro-

rum

rum qui ipsi innotuissent. Canonem etiam construxit auctor *Synopseos* inter opera Athanasii, & Cyrillus Hierosolymitanus, de quibus fuse loquitur Christophorus Wolfius *part.* 2. *Biblioth. hebr.*, ubi etiam referuntur canones Gregorii Nazianzeni, Amphilochii, Epiphanii, aliorumque tum græcorum, tum latinorum. Nomine autem Ecclesiæ cœptum est catalogum sacrorum Librorum efformari in provinciali Concilio Laodiceno celebrato anno 363., ubi pro canonico excipitur etiam liber Baruchi cum Jeremiæ Lamentationibus. Nicaenam Synodum canonem condidisse auctor est Hieronymus *præfat. in Judith*, sed quos complexa sit libros ignoramus, cum non extent, quæ huc pertinent, ordinationes. Concilium Carthaginense anno 397. habitum recenset etiam libros Sapientiæ, Ecclesiastici, Tobiæ, Judith, & duos Machabæorum, ubi praecipitur *ut de confirmando isto canone transmarina Ecclesia consulatur*. Eumdem canonem firmavit alterum Carthaginense anno 419. Ecclesiae Africanae consensisse Romanam constat ex Epistola Innocentii I. Rom. Pontif. ad Exuperium Hispaniae Episcopum anno 405. data, in qua iidem plane veteris, novique Testamenti tamquam canonici recensentur. Quod confirmatum fuit a Concilio Romano sub Gelasio I. circa annum 494.

Qui postmodum inter canonicos computati sunt, appellari solent *Deuterocanonici*; qui primo *Protocanonici*. Hoc nomine vulgo insigniuntur respectu veteris Testamenti quinque libri Mosis, Josuae, Judicum, & Ruth, quatuor libri Regum, duo Paralipomenon, Job, Psalterium, Proverbia, Ecclesiastes, Cantica, Isaias, Jeremias cum Threnis, Ezechiel, Daniel, & duodecim Prophetae minores. Ex novo Testamento Matthaeus, Marcus, Lucas, Joannes; Actus Apostolorum; Pauli ad Romanos una, ad Corinthios duae, ad Galatas una, ad

Colos-

Colossenses una, ad Thessalonicenses duae, ad Titum una, ad Philemonem una; Petri prima, & Joannis prima. Sunt autem deuterocanonici ex veteri Testamento Esther, Tobias, Baruch, Judith, Jeremiae Epistola, Sapientia, Ecclesiasticus, oratio Azariae, hymnus trium puerorum, Susannae, & Beli historia, Machabaeorum primus, & secundus. Ex novo Testamento Marci caput ultimum, historia de Christi agone, Joannis historia de muliere adultera, Epistola ad Hebraeos, Epistola Jacobi, Epistola Petri secunda, & secunda Joannis & tertia, Epistola Judae, & Apocalypsis.

Qui fieri potuit ut in Melitonis recensione aliorumque desiderentur nonnulli libri, & cur nonnulli ex Patribus quorumdam auctoritatem in dubium revocaverint clare explicat Sebastianus Seemiller *Herm. Sacr.* part. 1. cap. 1. *Nihil aliud*, inquit ille, *inde colligitur, quam illorum tempore necdum uniformem omnium Ecclesiarum de huiusmodi librorum canonica auctoritate traditionem extitisse. Nec sane difficile est explicare, qua ratione contigerit, ut quaedam Ecclesiae particulares primo pauciores, quaedam vero eodem tempore plures numeraverint libros canonicos. Cum enim prioribus quatuor saeculis necdum generalis Concilii decreto sacrorum librorum canon esset constitutus, mirum non est, quasdam particulares Ecclesias, defectu uniformis apud ipsas traditionis, aliquamdiu latuisse, quinam praecise libri pro canonicis habendi essent. Interim, tamen aliis ex uniformi Episcoporum suorum traditione, ab ipsis inde Apostolorum temporibus hausta ea de re certiora constare poterant. Quoniam vero illae harum rerum se traditioni conformare nulla lege tenebantur, prius quam eiusdem traditionis antiquitatem, auctoritatem, & fundamenta penitius examinassent, multum certe temporis effluere poterat, donec omnes in re tanti momenti consentirent. Porro Romanam,*

& Af-

& Africanam Eccleſiam quarto iam ſaeculo totidem numeraſſe canonicos libros, quot nos chriſtiani Romano-Catholici hodie numeramus, ex antea dictis conſtat. Unde nam vero iſtae Eccleſiæ hunc ſacrorum librorum numerum, quam ex Apoſtolica traditione hauſerunt? Secus enim ſi eſſet eumdem aliis Eccleſiis nullo unquam tempore perſuadere potuiſſent. Certum quippe eſt a ſexto ſaltem ſaeculo ad Tridentini Concilii uſque tempora in omnibus Eccleſiis particularibus cum Romana coniunctis eumdem obtinuiſſe ſacrorum librorum numerum, eoſdemque tamquam divinitus inſpiratos ab orthodoxis horum ſaeculorum ſcriptoribus communiter fere fuiſſe citatos. Immerito igitur a Proteſtantibus ſuggillantur Tridentini Patres, quod in canonem divinarum Scripturarum receperint quoſdam libros, de quorum canonica auctoritate nonnulla primorum ſaeculorum particulares Eccleſiae aliquamdiu dubitabant. Nitebantur enim illi apoſtolica traditione, quam in Romana, & Africana Eccleſia per priora quatuor ſaecula conſervatam, & demum etiam ab aliis particularibus Eccleſiis agnitam, probatam, & ad ſua uſque tempora traductam fuiſſe noverant. Huiuſmodi argumentum ſi recte expendatur validiſſimum eſt ut adſtruatur potuiſſe optimo iure efformari a Synodo Tridentina canonem Scripturarum. Eo certe uſus eſt acutiſſimus Tertullianus *lib. de praeſcription.* adverſus Marcionitas ad eoſdem refellendos, ubi nonnullos libros temere e canone ſubſtulerant. Verum vis tota deprehenditur ſane, ſi recolatur in quavis oecumenica Synodo Patrum definitiones inniti potiſſimum traditionis fundamento ſuarum Eccleſiarum, ita ut quodcumque dogma idcirco adprobent atque definiant eo quod reperiant hanc eſſe doctrinam ſuarum Eccleſiarum, quæ ibidem ſervatur aſcendendo uſque ad earumdem conditores. Cum vero hac in re debeant primo præcellere Eccleſiæ illæ quæ

ab

ab Apostolis fundatae sunt, & apud eas longa ætate vixerunt, ac deinde quæ a viris apostolicis primo occupatæ sunt, & sic deinceps; hinc est ut ad illarum doctrinæ depositum, ac traditionem cæteræ se conformare teneantur, utpote quae ab ipsis & non aliter si catholicae sint, derivent. Ut exemplo rem illustremus dogma de divinitate Verbi commune erat ante Nicaenam Synodum apud omnes catholicorum Ecclesias. Verum crassante haeresi quae illud subvertere nitebatur desumptis ad suae causae praesidium nonnullis Scripturarum testimoniis impudenter detortis, communis Ecclesiae Fides in Concilio interrogata adsistente divino Spiritu & auscultata est, ac genuinus atque naturalis Scripturarum sensus susceptus, sub quo & antea intelligebantur Scripturae illae in Ecclesia; atque ita per solemne iudicium haeresis profligata est Arianorum, sicuti & Nestorii in Ephesino, Eutichetis in Chalcedonensi Concilio, & sic porro, quemadmodum & Lutheri in Tridentino. Augustinus quoque rem hanc de qua modo disputamus, traditione dirimendam perspicue docet *lib. 2. de Doctr. Christ. Tenendus hic modus*, inquit ille, *in Scripturis Canonicis. Primo ut eas, quae ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Catholicis, praeponat eis, quas quaedam non accipiunt. Secundo in eis quae non accipiuntur ab omnibus, praeponat eas, quas plures gravioresque accipiunt, eis quas pauciores, minorisque auctoritatis Ecclesiae tenent.* Quibus ex verbis clare patet agnovisse & Augustinum variam in Ecclesiis peculiaribus auctoritatem, unde si in concilio eas congregari contingat per proprios episcopos, auctore ipso Augustino, illos qui pauciores numero sint, minorisque auctoritatis accedere oportere ad reliquorum suffragium, illorumque iudicio sese conformare. Quod si hoc munus est judicum in Ecclesia, quid dicendum de privatis hominibus, quibus nulla in Ecclesia concessa a Deo est judicandi potestas

stas

stas, sed de sua portione habent dumtaxat, ut Ecclesiae praescriptis obediant? Cum autem illorum etiam, qui nedum nomine sed & scientia theologi sunt, proprium sit neutiquam Ecclesiae doctrinae refragari, utpote qui certo sciant nequaquam errare posse, sed id quod docet munire argumentis ex purissimis fontibus undequaque petitis, & consectaria quæ ab ejusdem sententia sponte fluant eruere, ac profligare adversarios: hanc quoque de canone Scripturarum definitionem tuendi non deesse profecto argumenta maximi roboris, ut obmutescant qui contra sentirent, demonstrare tenentur. Hoc autem pro modulo nostro tentabimus, cum huiusmodi veritas tum ex se, tum ex iis quae ad illius confirmationem proferenda sunt, hisce institutionibus valde conveniat, ut comprobetur.

Qui Libros veteris Testamenti a Laodicena & Tridentina Synodo in canonem cooptatos ab eodem expungunt ea ducti ratione, quia in hebraeorum catalogo desiderantur, putant hoc suum nequaquam a catholicis solvi posse argumentum. Cum enim diremptam hi velint ab Ecclesia quaestionem hanc tutissimo traditionis praesidio, quae autem, inquiunt illi, adsignari potest traditio quae a vetustis hebraeorum temporibus auspicari nequeat? Si repudiarunt nonnullos libros judaei suarum rerum ac praecipue Scripturarum custodes vigilantissimi, non est cur possit Ecclesia eisdem divinam tribuere auctoritatem, interea dum divinos non agnoverint judaei. Nec regeri quidem potest facultatem quae Ecclesiae judaeorum non defuit in asserenda divinitate librorum, potiori jure obtinere Christi Ecclesiam, cum constitutum a nobis sit in hujusmodi definitione inniti Ecclesiam traditionis fundamento. Quae credenda a fidelibus voluit Christus, omnia Apostolis revelasse docet & Canus *lib. 2. de loc. Theolog.*, ut nihil amplius circa fidem revelandum superesset

esset, atque ita omnium temporum una esset fides. Quapropter in definiendis fidei dogmatibus Ecclesiae est sciscitari primo in traditione quid ipsi ab initio illa revelaverit, & religiose ab ea custoditum in quavis temporis differentia, & hoc etiam cum singulari Dei, ne umquam labatur, illustratione, & auxilio. Similia habet auctor animadversionum *ad lib.* 8. *hist. Concil Trident. Pauli Sarpi* le Courayer (*a*), qui in suae causae patrocinium post Augustinum & Hieronymum vocat Caietanum *Epist. ad Clement. VII.* Isidorum Clarium, Vatablum, Picum Mirandulanum, & alios etiam. Huiusmodi criminationes repetit nostra hac aetate Ioachimus Pfeifferus in *Hermen. Sacr.*, quae prodiit Erlangae 1771. Cum enim, inquit ille, eloquia Dei judaeis sint concredita, ut monet Apostolus *ad Rom.* III. 2., quos libros tamquam divinos numquam recepit Ecclesia judaica, nec tamen ob eam causam reprehensionem vel Christi ipsius, vel Apostolorum subiit, illi ad canonem veteris Testamenti non pertinent. Hinc, subdit, decretum illud Concilii *Sess.* 4. suo fulmine ferire S. Hieronymum, qui *praefat. in libb. Regum* recensitis canonicis libris deinde profitetur: *hic prologus Scripturarum quasi galeatum principium, omnibus libris, quos de hebraeo vertimus in latinum, convenire potest, ut scire valeamus, quid extra hos est, inter apocrypha esse ponendum.* Quid itaque de hebraeorum canone existimemus, & quanti faciendam esse hanc traditionis speciem in hac causa, exponendum est.

Ac

(*a*) Tantum abest quod plene hisce argumentis satisfactum hucusque sit, ut contra Diarium Trivoltiensem non veritus sit eadem repetere Joannes Gottlob Carpzovius tum præfatione *Introd. ad libros historicos*, tum præfatione *ad libros propheticos Bibliorum*.

Ac primo quæ de antiquo judaeorum canone tradi solent a plerisque eruditis ex ipsis hebræorum magistris deprompta, si æqua lance expendantur, veritati ne ita consona sunt, ut absque ulla dubitatione admittenda sint? Certe dubitatum jam olim fuit a viris doctissimis, & eo tandem, ni fallimur, res deducta, ut quæ obtrudunt Talmudistæ de canone suo, inter putidas fabulas merito sint reiicienda. Volunt ipsi statim post babylonicam captivitatem erectum apud suos fuisse collegium quoddam, quod vocant Synagogam magnam, hebraice *Cheneset agghedolà*, quæ peculiarem obsignaverit canonem Scripturarum. In tractatu siquidem Talmudis *Jomà f.* 69. 2., *in Meghillà f.* 10. 2., & *in Bavà Batrà cap.* 1. *f.* 14. legitur viros Synagogae magnae, seu collegium centum viginti virorum, inter quos adnumeratur Aggæus, Zacharias, Malachias, quorum omnium tamquam princeps, & caput erat Esdras, Libros sacros, qui captivitate babylonica fuerant neglecti, cum industria collegisse, recognovisse, & in eum, quem nunc referunt, ordinem digessisse, & sic totum canonem, sive indicem sacrorum scriptorum obsignasse. Qui post Talmudem scripserunt hebraeorum magistri eadem repetunt, ut auctor Chronici *Juchasin*, & alii multi, quorum mentem fuse explicant Julius Bartoloccius *Biblioth. Rabbin. T.* 4. *part.* 3., Raymundus Martinus *Pug. Fidei lib.* 2. *cap.* 4. Constantinus l' Empereur *ad Middoth*, Petrus Cunæus *de repub. hebr. tit. Synag. magna*, Leydekkerus *tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 9. *reip. hebræor.*, Joannes Buxtorffius *in Tiberiade*, *seu Commentar. masoretico lib.* 1. *cap.* 10., Daniel Huetius *Demonstrat. Evangel. prop.* 4., & Seldenus *de Synedriis judæorum*. Hanc Talmudistarum narrationem fateri cogimur assensum obtinuisse penes non paucos e christianis scriptoribus, quos longum esset enumerare. Ast principio observandum est opinionem de huiu-

sce Synagogae magnae existentia, ac de canone ab ea concinnato aetatem non antevertere Talmudis conditi, quod profecto nonnisi tertio Ecclesiæ sæculo, ut suo loco notandum est, in lucem prodiit: sed ante illud tempus nulla est mentio apud vetustiores, & altum omnino silentium hac de re tum in Josepho, & Philone, reliquisque omnibus rerum hebraicarum Scriptoribus, tum etiam in sacris literis. Quandoquidem in libris Esdræ, uti observat Franciscus Buddeus *part.* 2. *hist. Eccles. V. T. a captiv. babyl. ad Princip. Machab.* huiusce consessus extaret vestigium, qui maxime in ea historiæ parte versantur, quae statum populi tum quoad civilem tum ecclesiasticam politiam exhibet. Cum ibi multa describantur magni momenti negotia ab Esdra, & Nehemia gesta, hoc quoque inveniri oportebat, quod non solum nequaquam innuitur, sed ex 1. Esdr. capp. IX. & X., & 2. Esdr. cap. VIII. eiusmodi non extitisse inter judæos tribunal aperte evincitur. Nullibi quoque in historia Machabæorum fit commemoratio huius collegii, etiamsi ea quoque tradat quæ spectent ad sacra illius temporis. Quæ vero ad illud adstruendum depromere nititur Lightfootus ex 1. Esdr. II. 2. suæ causae commonstrant infirmitatem, cum ibi sermo dumtaxat habeatur illustrium virorum qui ex captivitate reversi sunt in Jerusalem, atque ex eo quod *vers.* 1. legatur hosce omnes rediisse in civitatem suam, ex tota huiusmodi narratione, quin istius collegii institutio probetur, colligitur tantum unumquemque illorum in patria sua rerum publicarum negotiis componendis sedulo incubuisse. Qua vero ratione eruere se posse arbitretur ex Act. Apostolor. I. 15. collegium illud coaluisse centum viginti viris, prorsus ignoratur. Ridiculum sane est ex illorum numero, apud quos locutus est S. Petrus Apostoli substituendi causa in locum Judae, eumdem coniicere fuisse illum Synagogae magnae. Neque

Digitized by Google

que felicius expediunt se Buxtorfius, & Huetius *loc. cit.*, qui vel in repetendis Talmudicorum commentis solliciti sunt, vel argumentis parum firmis sententiam suam roborant. Hinc ipsemet Huetius fatetur *solidis rationibus hactenus id probatum non esse*. Merito itaque in reprehensionem incidit Valentini Ernesti Loescheri *Commentar. de causis linguæ hebr.* quod in hisce narrationibus multum immoretur, cum *ipsæ sibi repugnent, fabulæque speciem omnino præseferant*. Richardus vero Simon *lib.* 1. *cap.* 8. *hist. crit. V. T.* non veretur asserere verosimilia non esse quaecumque de illa Synagoga jactant nonnulli, ut *ea quoque, quæ de concinnato ab ipsa Scripturae corpore traduntur, dubia esse, & incerta*. Praeterea quis credat Synagogam istam magnam, cuius caput fuerit sanctissimus Esdras, ac membra praecipua. Nehemias, Aggaeus, Zacharias, Danielem ex numero Prophetarum eiecisse? Certe cur hoc fecerint, nulla ullo modo probabilis ratio excogitari potest, nisi velimus infirmis recentiorum judaeorum rationibus, vel potius ineptiis acquiescere, qui fabulantur idcirco id factum fuisse, quia non rigido more prophetarum vixerit & in locis desertis, sed in aula regia, vel quia non in terra sancta protulerit vaticinia. Testantur quoque ipsimet talmudici doctores immutatum pluries fuisse ordinem sacrorum librorum in canone, quem si tamquam ab Esdra digestum recepissent, utique servatum fuisset fidelissime, utpote ab eo receptum. Id patet ex Bavà Batrà *fol.* 14., & ex Succà *fol.* 20.. Post Surenhusium Christophorus Wolfius animadvertit non sub eodem ordine distributos antiquitus fuisse libros Prophetarum, & adhuc, teste ipso Wolfio, in nonnullis codicibus locatum videri Isaiam post Jeremiam, & Ezechielem (*a*). Diversam quoque distribu-

tionem

(*a*) Ieremiae vaticinium antecessisse loco in sacris Bibliis tempo-

tionem servant Septuaginta Interpretes, & Flavius Josephus. Hi profecto ordinem, si extitisset, Esdrini canonis scrupulose servassent. Ex conflictu etiam opinionum circa huiusmodi Synagogam, num videlicet distingueretur a Synedrio nec ne, augetur ratio dubitandi circa illius existentiam, cum non desint, qui duo distincta fuisse collegia adfirment, dum alii statuunt Synagogam magnam nihil aliud fuisse quam ipsum Synedrium: sic censet Seldenus *lib.* 2. *cap.* 16. *de Synedr.* Aliter tamen judicant Buxtorffius *Tiberiad. cap.* 10., & Leydekkerus *de rep. hebr. tom.* 2. *lib.* 6. *capp.* 6. *&* 8. Dissident quoque ipsi hebraeorum magistri circa personas quibus coaluit Esdrae aetate post reditum e Babylone Synagoga magna, tum etiam circa numerum. In eam nonnulli cooptant etiam Danielem, quem probabilius est iam antea decessisse. Neque dicas hanc opinionum varietatem licet facti circumstantias infirmet, roborare tamen substantiam; cum huiusmodi responsio locum habeat in earum quaestionum genere, de quibus aliunde etiam valida suppetant argumenta, non autem in historiis illis confirmandis

dis

---

re Apostolorum super caeteros Prophetas suspicantur nonnulli ex illo Matthaei XXVII. 9. ubi testimonium depromitur ex Ieremia, quod revera legitur in Zacharia XI. 12. 13. Si enim Ieremias tunc temporis primum locum occupavit in serie librorum propheticorum, inde factum, uti fieri solet, colligi potest totam operum propheticorum collectionem sub Ieremiae nomine nuncupari, ut recte dici potuerit ab Evangelista textum illum reperiri in libro Ieremiae. Certe huiusmodi responsio plus satisfacit, quam caeterae excusationes quae adferri solent. Legatur Lightfootus *ad h. l. Matthaei*, & dissertatio Henrici Opitii *de Ieremia inter prophetas majores*, & Ioannes Carpzovius *in Introd. ad libb. prophetarum*.

dis, quas nemo unquam tradidit neque synchronus, neque suppar scriptor, nec a longe indicitavit. De canone etiam non est una & eadem sententia. Censent nonnulli cum Genebrardo triplicem a judaeis constitutum fuisse canonem, primum a Synodo magna, quod tradunt etiam nonulli ex Rabbinorum grege Talmudi inhaerentes *tract. Nedarim.* Alium subinde canonem tempore Ptolemaei Philadelphi efformatum existimant ea occasione qua Eleazar ad eumdem regem codicem sanctum in graecam linguam vertendum transmiserit, cui adiunctam putant fuisse historiam Tobiae, & Iudithae, & librum Ecclesiastici, & Sapientiae. Tertium vero emersisse ob Pharisaeorum concertationes cum Sadducaeis circa annum mundi 3952. Duplicem tantum canonem admittit Serarius; sed Huetius cum Riveto, Hottingero, & aliis unicum agnoscit. Quarum ex tanta opinionum discrepantia, quae vel falsis vel fabulosis vel plane incertis nituntur fundamentis, liquet sane quo se tueri debeant sanioris critices cultores.

Verum si commentitia omnino sint quae hactenus a multis credita sunt de synagoga magna, ac de canone ab ea constituto, qua igitur ratione pro divinis habiti sunt libri veteris Testamenti a tota hebraeorum gente? Facilis est, & expedita responsio. Repudiatis talmudicis fabulis, quibus initio nonnulli adhaeserunt, quos multi deinde nulla adhibita cura secuti sunt, consequitur sane apud veterem hebraeorum Ecclesiam Scripturarum canonem sub ea consideratione acceptum fuisse, qua in Ecclesia Christi, priusquam per eiusdem Ecclesiae auctoritatem peculiaris texeretur catalogus, seu canon; nimirum consensisse semper veterem hebraeorum Ecclesiam sacros ac divinos esse libros Mosis caeterorumque sacrorum scriptorum, quod inficiari nemo unquam poterit; proin-

proindeque nunquam emerſiſſe neceſſitatem ut canon publica auctoritate proponeretur, aut ſaltem ſub Eſdra, quem adverſarii primum volunt canonis inſtitutorem. Et re quidem vera omnes catholici illi ſcriptores, admiſſo ſemel eumdem Eſdram cum ſuo illo ſenatu canonem effecisse, & publica auctoritate conſignaſſe, prorſus ignoramus qua inde ratione ſciſcitanti reſpondeant, cur ab eo adiecta non fuerit canoni hiſtoria Danielis de Belo & Dracone, & Suſannae etiam, ſicuti & oratio Azariae, ac trium puerorum. Credibile ne eſt unumquemque centum viginti virorum, quibus conflatum dictitant collegium, penitus latuiſſe hanc hiſtoriae partem, latuiſſe Eſdram, Aggeum, Zachariam, Zorobabelem, Nehemiam, immo ipſum Danielem, ſi in eo locum habuit? Penitus latuiſſe hiſtoriam quae contigit non multo ante, videlicet aetate Danielis, cuius fama undique inter ſuos pervagata eſt? Denique latuiſſe penes viros illos huiuſmodi geſta quae notiſſima eſſe debuerant in tota chaldaeorum gente, ſicuti & hebraeorum? Iidem profecto catholici ſcriptores ad adſtruendam reliquorum librorum divinam auctoritatem non ad chriſtianorum tantum, ſed & ad veterum judaeorum traditionem appellant, & utramque iuremerito magni faciunt; quomodo autem ſe tueri poterunt, & traditionem invehere judeorum circa hos libros, dum propugnant Eſdram hebraicarum rerum peritiſſimum dum canonem conſignaverit, eoſdem, quos ignorare nequibat, canoni non adiecisse, ſed potius expunxiſſe? Libros Scripturarum potiſſimum chriſtianorum utilitati conſcriptos fuiſſe non negamus, ſed tamen emolumento etiam judaeorum teſtantur ipſae Scripturae & quidem ſaepiſſime, unde notum quoque illis eſſe debebat, quales eſſent Deo inſpirante conſcripti. Et certe ex hiſtoriis illis novum deſumere poterant judaei argumentum, ut non ſe inquinarent neque carnis fornicatione

catione, neque idololatria, in quam proni erant. Patet itaque ex dictis perperam consulere divinitati librorum, quos non recipiunt recentiores judaei, scriptores illos, qui fabellam de synagoga magna, & canone Scripturarum ab ea firmato avide recipiunt. Miramur tamen qua fronte Ioannes Franciscus Buddaeus *hist. Eccl. V. T. period* 2. *sect.* 6. *a captiv. babyl. usque ad Princ. Machab.* adfirmare potuerit *Romanae Ecclesiae doctores hoc, quod de synagoga magna dicitur, canonem Scripturae ab ea consignatum avide arripere, ut hac ratione Ecclesiae facultatem, canonicam libris quibusdam tribuendi auctoritatem, vindicare possint.* A viro docto & acuto haec dici nequeunt nisi per summam iniuriam, & praeconceptum livorem. Etenim praeterquamquod eum conqueri oporteret de ipsis protestantibus, qui plurimi sunt qui in eam sententiam descendunt doctrina insignes & eruditione, uti Buxtorffius, Lightfootus, Henricus Maius *in dissert. selectior.*, Goodvinus *Mos. & Aar. lib.* 6. *cap.* 7., Ioh. Gottlob Carpzovius *adnotat. ad loc. cit. Goodv.*, Ikenius *antiq. hebr. part.* 1. *cap.* 1 *n.* 7., & alii multi, quos recenset Christophorus Wolfiius *part.* 2. *de Can. Bibl.*, si aequo animo rem expendisset, infirmare potius hanc sententiam Ecclesiae auctoritatem decrevisset, quam confirmare. Ea enim tacite innuit Ecclesiam adprobasse uti canonicos libros illos, quos Esdras unus videlicet ex scriptoribus a Deo inspiratis sicuti Paulus, Petrus, Iacobus &c. suo canoni diligentissime efformato nequaquam adiungere iudicaverit, & sic deinceps synagoga magna. Non immoramur in refellendis illorum rationibus seu potius ineptiis, qui aiunt idcirco non adpositos fuisse canoni eo quod vel extra terram sanctam conscripti sunt, vel aliena lingua, quae utpote profana minime copulanda erat cum lingua sancta. Si hoc verum esset ne-

que

que Ezechielis vaticinium esset in canone, cum constet eum in Caldaea conscripsisse, sicuti etiam nulla Danielis capita quae chaldaice exarata sunt, sicuti & nonnulla ipsius Esdrae.

Reliquum igitur est ut adfirmemus solicitos quidem fuisse judaeos comparandi sibi legis exemplar, & plures etiam totum Scripturarum codicem, prout de Nehemia narratur 2. Machab. II. 13., sed deperditum etiam occasione calamitatum non ubilibet, sed apud quosdam unum vel alterum Scripturarum librum, uti colligitur ex eodem loco Mach. *vers.* 14. seq. Ex eo etiam quod non esset proprie descriptus canon contigit ut nonnullorum librorum pauca invenirentur exemplaria, ea præsertim quæ non ad lectionem & cantum in templo adhibebantur, ubi solum Pentateuchus, nonnulla Prophetarum oracula, & Psalmi audiebantur. Hoc autem praecipue in postremis ac difficillimis hebraicae Reipublicae temporibus, in quibus a Syris vexata est, & sub Epiphane bellum sacris libris indictum est, ut constat ex 1. Mach. I. 59., ex quo factum est ut ea ætate non amplius in templo collocarentur. Addendum graecorum sophistis, qui in Palaestinam se contulerunt, non paucos accessisse, atque ita reliquisse studium Scripturarum, cui etiam non parum impedimento fuit Romanorum dominatio. Attamen apud omnes qui optimi haberentur judaei, in pretio habebantur etiam ii libri, qui in Synagogis non legebantur, sed cum usui publico non inservirent, non multi eos sibi compararunt, sicuti & ob eam causam exemplaria non multiplicata sunt eo quod comparuerint in turbulentis reipublicae temporibus. Quare factum est, ut, hebraeis alio translatis ubi graeca lingua vernacula esset, quemadmodum ea aetate maxime erat Aegypti, aliisque locis, ubi, ut quiete viverent, ingens hebraeorum multitudo morabatur; iidem libri in graecum

cum

cum translati sint, vel in chaldaicum, & paulatim sub hebraico textu interierint, si omnes sub eodem primo exarati sint. Incognitos hosce libros prorsus non fuisse judaeis, sed in pretio habitos colligit Josephus de Voisin *præfat. ad Pugion. Fidei Raymundi Martini*, sicut & ipse Raymundus *part.* 3. *dist.* 3. *cap.* 27., & Christophorus Wolfius *loc. cit. de libris Apocr.* Ipsum librum Judith inter Agiographa, seu sacros libros computatum olim apud judæos se didicisse fatetur etiam Hieronymus *praef. in Judith*, neque quis pugnabit hoc dici ratione historiæ, non autem operis; cum huiusmodi distinctio invectam praesupponat opinionem Esdrini canonis. Traditio itaque de libris divinis ex hebræis translata est ad christianos, de quibus tamen ob impugnantium pervicaciam oportuit, ut Ecclesia solemnem & irrevocabilem ordinationem promulgaret.

Licet autem nonnulli ex adversariis nobiscum sentiant circa Synagogam magnam, & canonem ab ea conditum, adhuc tamen traditionem illam de libris qui in controversiam cadunt, quam modo adstruere conati sumus, ut obiectionibus superius occurreremus, apud hebræos viguisse negant. Testem excitant suae opinionis Josephum, qui *lib.* 1. *contra Appionem* docet hebræos viginti duos tantum habere libros, quinque scilicet Mosis, tredecim Vatum, quatuor Laudum Dei, & Præceptorum vitæ humanæ. Eusebius etiam *hist. Eccl. lib.* 6. *cap.* 18. auctoritate munitus Origenis scribit non esse ignorandum viginti & duos libros habere canonem veteris Testamenti, sicut hebræi tradunt, secundum numerum scilicet elementorum, quæ apud ipsos habentur. Per elementa autem intelliguntur hebraicæ linguæ literæ elementares. Si autem ex pervetusta hebræorum sententia viginti duo tantum sunt canonici libri, reliqui profecto excluduntur, proindeque corruit totum traditionis,

Digitized by Google

de qua loquimur, fundamentum. Ast ex illo Josephi testimonio nihil omnino de germana & integra veterum judæorum traditione colligi posse, aperte pronunciamus, cum in numero, quem adfert, sacrorum librorum includi commode possunt ii qui in disputationem veniunt. Sicut enim in quatuor illis, in quibus contineri narrat *laudem Dei*, haud dubio reponendi sint Judicum, Ruth, Samuelis, Regum, & Paralipomenon libri, eadem quoque ratione Judith, & Tobiæ libri; & in illis, in quibus præcepta vitæ humanæ traduntur, reperiantur Proverbia, & Ecclesiastes, reponi etiam potest Ecclesiasticus, & Sapientia, quin etiam augeatur numerus. Obscura igitur & nimis vaga est Josephi partitio sacrorum librorum, ut ex ea erui possit locum in ea habere non posse qui ab hebræis expunguntur e canone. Præterea divisionem illam exhibet Josephus ea ætate qua Spiritus Dei iam recesserat a synagoga, unde dubitari ne potest, ut non traditionem veterum, sed opinionem exhibeat hebraeorum sui temporis?

Invaluisse ante Iosephum apud hebraeos falsas traditiones luculenter traditur in Evangeliis, inter quas reponunt eruditi quod Esdras de nuovo totam Scripturam iam deperditam memoriter conscripserit. Partitionem invehere sacrorum Librorum, quae nonnullos respiciat complectentes *Laudem Dei*, perinde est ac nullam proponere, cum laudes Dei ubique habeantur, & quam maxime in libris Prophetarum. Animadvertendum est etiam concipi nequaquam posse cur tredecim tantum esse libros Vatum tradiderit. Sublato siquidem Barucho, & Daniele, quem inter Agiographa post Christum judaei collocant, adhuc tamen huiusmodi numerus obtineri nequit, cum additis Isaiae, Ieremiae, & Ezechieli duodecim Prophetis, qui dicuntur minores, numerus quidem excrescit usque ad decimum quintum. Quod autem recte dubitatur de

tur de

tur de Ioſepho ſequi eum partitionem quamdam hebraeorum poſt Chriſti aetatem, maiori fundamento adfirmari poteſt de Origene cum cauſam adſignat cur viginti duo ſint, in gratiam nimirum hebraici alphabeti. Hoc ſiquidem commentum eſt cabaliſtarum inter hebraeos, ſeu potius nugivendulorum, uti conſtat inter eruditos, & quis credat puerilem hanc curam cadere potuiſſe in Eſdram, quae certe tanto homine indigna eſt? Caeterum ex narratione ipſius Euſebii abunde patet eum potius recentiorum opinionem, quam veterum hebraeorum ſententiam proferre. Denique hebraei ipſi doctores diſcrepant inter ſe, cum multi inveniantur ex vetuſtis etiam, qui, teſte Hieronymo *Prolog. Galeat.* Scripturas in viginti quatuor libros diſpeſcant, utque ſuperſtitioſe congruerent cum alphabeto, ad literas illas confugerunt, quæ in fine dictionis diverſa figura donantur.

Videamus modo num in Eccleſia reapſe deſideretur neceſſaria traditio, quam perfricte negat memoratus auctor *adnotat. hiſt. Sarpi* Petrus le Courayer. Libros illos antiquitus legi in Eccleſia explorata res eſt, ſed inquirendum num revera ad ſolam fidelium aedificationem, an vero quia tamquam canonici fuerit exiſtimati. Ad ſuæ cauſae praeſidium vocat S. Auguſtinum le Courayer. Non veremur tamen & nos Auguſtinum ipſum proferre, ubi clare magis ac perſpicue de huiuſmodi quaeſtione ſermonem inſtituit. Ac primo teſtimonium depromimus ex *cap.* 2. *de Doctr. Chriſt.* ubi ita mentem ſuam explicat. *Illi duo libri, unus qui Sapientia, & alius qui Eccleſiaſticus, quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter Prophetas numerandi ſunt.* Quid apertius ad rem noſtram? Divinae authentiae meritum innoteſcere non poterat niſi ex traditione, quam perennis in Eccleſiis lectio firmabat. Sed luculentius ex *cap.* 14. *de praedeſtin. Sanctor.* mens Auguſtini deprehenditur, & conſuetudinem Eccleſiae legendi

eos libros invaluisse ex constanti opinione divinae illorum authentiae. *Non debuit*, inquit, *repudiari sententia libri Sapientiae, qui meruit in Ecclesia Christi de gradu lectorum Ecclesiae Christi tam longa annositate recitari, & ab omnibus christianis, Episcopis usque ad extremos laicos fideles, poenitentes, cathecumenos VENERATIONE DIVINAE AUCTORITATIS AUDIRI..... Qui sententiis tractatorum instrui volunt, oportet ut istum librum Sapientiae, ubi legitur*, raptus est ne malitia immutaret cor eius, *omnibus tractatoribus anteponant, quem sibi anteposuerunt etiam temporibus PROXIMI APOSTOLORUM egregii tractatores, qui eum textum adhibentes, nihil se adhibere nisi DIVINUM TESTIMONIUM crediderunt*. Hasce Augustini auctoritates vel vidit le Courayer, vel non. Si ignotae ipsi fuerunt, neglexit quidem sancti huius Ecclesiae Patris perspectam habere mentem; si vero easdem non ignoravit haud dubio incautis imponere studuit, cum ex illis textibus quid senserit Augustinus circa huiusmodi libros plane evincatur. Neque ullum facessit negotium eum *lib.* 17. *de Civit. Dei cap.* 20. adfirmasse *adversus contradictores non tanta firmitate proferri, quae scripta non sunt in canone judaeorum:* nemo enim ignorat plus valere in concertationibus testimonia de quibus neutra pars dubitet, quam quae utrobique non admittuntur. Notandum interim est quanti Augustinum fecisse in hac causa traditionis auctoritatem, quam tantum Protestantium more, de quo inferius disseretur, le Courayer rationis humanae lumine decernit esse dirimendam. Sublesta quoque huius scriptoris fides innotescit ex eo quod pro illorum authentia citet solum Synodum Chartaginensem, sed addere poterat Laodicenam, ut supra monuimus, Toletanam II., & Sardicensem, de quibus mentionem facit Theodoretus *lib.* 2. *hist. Eccl. cap.* 8. Inter Patres vero recensere potest S. Basilium tum

contra

contra *Eunomium*, & *super Ps.* XXXVII. tum praecipue contra haereticos *epist.* 141., Cyrillum Alexandrinum qui in *lib. contra Iulianum* sub nomine divinae Scripturæ utitur verbis Sapientiae. Ex hisce, & aliis etiam quos videre est apud Frassenium, Natalem Alexandrum, Serarium, Bonfrerium, & Huetium perennem non defuisse in Ecclesia huius rei traditionem.

Verum qua ratione ab Hieronymi auctoritate expedimur? Primo illo opponimus Augustinum, qui certe in hac causa anteferendus est. Non enim disceptamus de cuiusdam Scripturæ textus interpretatione, de quo nihil definierit Ecclesia, sed de veritate traditionis, quæ magis sancto Ecclesiae Antistiti, viro nimirum, cui etiam a Deo traditionis depositum demandatum est, quam Hieronymo, innotescere debuit. Insuper biberat inter alias etiam fabellam illam de hebræorum canone. Quare ad repellendam ipsorum calumniam, qua christianis exprobrabant, publice apud eos legi in sacris concionibus libros, qui essent apocryphi, usus est distinctione illa *ad ædificationem* dumtaxat lectos fuisse, non autem ad faciendam fidem divinae illorum authentiae. Ex huiusmodi sancti Doctoris verbis nihil aliud eruitur quam teneri nos eo vel magis ad negandum canonem illum judaeorum, ut ab adversariorum impetu victores exeamus, ac præsertim si dimicandum nobis sit cum judæis, qui nos ad suam provocant Ecclesiam, quam cuncti veram antiquitus fuisse oportet ut fateantur. Ut autem calumniam illam perspicue pateat perlatam ab hebræis fuisse, ipsum audiamus Hieronymum, qui *ep. ad Chromat.* seu *præf. in Tobiam* inquit: *arguunt nos hebræorum studia, & imputant nobis contra suum canonem latinis auribus ista transferre*. Quid quod si Hieronymus ipse pervipendat hanc hebræorum traditionem, vocetque pharisaicam? Subdit siquidem: *melius esse pharisaeorum displicere iudicio*,

cio, & Episcoporum jussionibus deservire. Sed Tridentini decretum nequaquam ferire Hieronymum ex eo plane deducitur, quod illius opera omnia commostrent suæ erga Ecclesiam obedientiae, & parato semper fuisse animo amplecti libentissime, quod ipsa in quavis temporis differentia sanciverit. Sed eumdem audiamus tamquam assertorem huiusce veritatis. *Præf. in lib. Judith* ita se exprimit. *Quia hunc librum Synodus Nicaena in numero sanctarum Scripturarum legitur computasse, acquievi postulationi vestræ, immo exactioni, & sepositis occupationibus, quibus vehementer arctabar, huic unam elucubrationem dedi*. Haec verba instruunt sane le Courayer, atque Pfeifferum plus dedisse Hieronymum auctoritatis Patribus Concilii Nicaeni, quam rationi suae; immo licet argumenta, quae contra huius libri authentiam sibi suppeterent, validissima viderentur, tamen censuit respuenda, voluitque respuere obtemperando Ecclesiae judicio. Si imitandum itaque suscepisset Hieronymum praefatae historiae explanator ille, praetulisset utique excogitatis a se argumentis Tridentini decretum, quod parem sibi vindicat cum Nicaeno auctoritatem. Abstinuisset etiam ab extollendo impudenter testimonio Caietani, Vatabli, Isidori Clarii, aliorumque supra Patres dicti Concilii; & hoc non tantum quia non minori sacrarum rerum scientiae quamplures constat fuisse praeditos, sed hac potissimum de causa, quia in argumentis a ratione ductis potest subesse aliquis error, non vero in Ecclesia universali ad discernendam veram germanamque, quæ in ipsa vigeat, traditionem. Ruunt itaque ac nullae sunt Caietani querimoniae illae, quas congerit in *epist. dedicat. ad Clem. VII.* Si expendisset fabellam de canone Esdrino, intimius Hieronymi mentem investigasset, ac serio animadvertisset quantum habeat roboris Ecclesiae iudicium, opinionem suam utique deseruisset. Errat vehementer

Digitized by Google

hementer ubi ait nos *canonicos habere illos quos tradidit Hieronymus, & quos ille a canone discrevit, extra canonem habere*. Cuiusvis hominis quantumvis sanctissimi atque doctissimi tanta esse non potest auctoritas, ut illam exaequet qua potitur Ecclesia. Si res ita se haberet summus Ecclesiae magistratus ac deinde cuncti fideles circa sacrorum librorum divinitatem Hieronymo crederent non Deo, proindeque fides nostra super Scripturas non divina esset, sed humana. Augustinus *contra epist. fund. cap.* 5. inquit: *ego Evangelio non crederem, nisi me catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas*. Eadem sententia debuit esse & Hieronymi, & reapse uti vidimus fuit, unde si ille ab Ecclesia discere tenebatur quinam essent libri canonici, & nos etiam sub eadem ratione. Si vere asseruit Caietanus *liberasse nos Hieronymum ab hebraeorum opprobrio quod fingamus nobis antiqui canonis libros, aut librorum partes, quibus ipsi penitus carent*, veritas tamen huiusce propositionis non se prodit ex eo quod nimium indulserit sanctus Doctor commentitio hebraeorum canoni, sed potius quia traditionem illam inter pharisaicas aliquando amandaverit. Denique *multum Ecclesiam debere Hieronymi curis respectu etiam horum librorum* haud diffitendum, non quia eosdem videatur e canone expungere, sed quod ex aliena lingua in latinam transtulerit. Si legantur, quos supra citavimus, probati scriptores, palam fiet non sine mendacio asserere potuisse le Courayer deesse in Ecclesia orientali traditionem de libris illis, & parum viguisse in occidentali, & ex confusa, neque sub ea ratione, qua accipi debet, perspecta traditionis notione liquet etiam ignaros homines decipere potuisse, non autem doctos. Praeter citatos scriptores legatur Joannes Martianaeus ord. Ben. *de veritate*, & *cognit. sacror. libr.*, Scipio Sgambatus *in Archiv. Vet. Test.*, & Canus *lib.* 2. *de loc. Theolog. cap.* 9. *& seq.*, in quibus dirempta abunde

abunde invenies argumenta quae communiter contra dictorum librorum authentiam adferri solent, & quid ex libris ipsis, & ex germana traditione Patrum, & Ecclesiarum eruatur, ut eadem demonstretur. Adhuc enucleandum superesset quem humana ratio communisque sensus habeant locum in huiusmodi .disceptatione, quod tanti faciunt adversarii. Verum haec difficultas, quam supra brevi diluimus, cum proponi soleat etiam circa Scripturarum interpretationem, cum de ea sermo erit longa oratione enodabitur.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.

De Versionibus Orientalibus Sacrae Scripturae, seu Pentateucho Samaritano, Paraphrasibus Chaldaicis, & versione Syriaca, Arabica, & aliis.

IN hac tractatione eadem methodo incedemus, qua superius usi sumus, ubi non omnia, quæ pertinerent ad quæstionem, complexi sumus, sed potiora selegimus, & ea præsertim quæ non satis enucleate viderentur ab aliis pertractata, non neglecta cura citandi Scriptores, in quibus candidati reperient quæ hic referre supervacaneum est. Illorum tamen mentionem facimus, qui absque controversia in Scripturarum studio excelluerint. Indubium sane est post scientiarum reditum in Occidentem, apud Italos primo illud restitutum fuisse, ac lapsu temporis ope doctissimorum hominum valde excrevisse, ac potissimum Sanctis Pagnini, Steuci Eugubini, Xysti Senensis, Marci Marini Brixiensis, Julii Bartoloccii, ac Roberti Bellarmini; sed paulatim si non ferme interierit, iacuisse tamen negari nequit. Neglecta siquidem totius hebraicæ literaturæ cognitione, quemadmodum & orientalium linguarum, factum est, ut supra Scripturas comparuerint solum in iis locis quae intellectu difficillima sunt, non quæ ipsae complectuntur, & exprimunt, sed quæ homines alias quidem

docti, sed in huiusmodi disquisitionibus non satis periti, proprio arbitratu excogitarint. Non parum certe incrementi obtinuit ultra montes hoc studii genus, quod in Italia habuit natales suos, sed cum eo, & quidem iniquo consilio, plerumque institutum ibi fuerit, ut verbum Dei favere videretur haereticorum blasphemiis, non multum soliciti fuere nostrates, repudiatis iis quae cum veritate catholica pugnant, quae bona ac praeclara essent ab illorum operibus sedulo haurire, atque in usum transferre, immemores certe Augustini sententiae, veritatem excipiendam esse a quolibet hominum. Sed qua ratione id fieri potuisset, si ad eos legendos nequaquam accesserint necessario illo, quem designavimus, apparatu? Haec igitur ratio est, cur super quamlibet, quam pertractamus, quaestionem nomina adiecimus illustrium scriptorum, qui de ea optime meriti sint, ut ii, qui antea Ecclesiae doctrinam probe noverint, atque in ea penitus confirmati, eosdem quoque prudenter consulant. Sed ad institutum nostrum revertamur.

Inter versiones primo se offert Pentateuchus Samaritanus, quem totus est Ioannes Morinus *in exercit. bibl.* ut venditet non pro quadam versione, sed pro totius legis archetypo sub iisdem omnino literis, quibus Moses usus est. Sententiam hanc, prout nobis erat, refutavimus in disquisitione nostra typis Mutinensibus edita 1781. Adversarios dumtaxat hic memorabimus, quos nactus est rerum hebraicarum peritissimos, uti Bartoloccium, Marinum, duos Buxtorffios, & Valentinum Ernestum Loescherum *in commentar. de causis ling. hebr.* Strenue etiam contra Morinum pugnarunt Stephanus Morinus *in exercit. de lingua primaeva*, Ioannes Henricus Hottingerus *in exercit. Antimorin.*, Ioannes Franciscus Buddeus *hist. Eccl. V. T. part.* 2., Simeon de Muis *in assertion. veritat. hebreae ad calcem commentar. super Psalm.*. Quod

spectat

spectat ad eumdem Pentateuchum Morini opinio neque arridet Richardo Simonio *lib. 1. hist. Eccl. V. T. capp. 11. 12.*, nec Dupinio *in dissert. praelim. ad Bibl.*, nec Natali Alexandro *dissert. 8. ad 1. mundi aetat.* Haec versio multis in locis discrepat ab hebraeo textu, & in non paucis etiam errat, licet id negatum videamus a Morino ipso, quem sequitur Huetius *in lib. de claris interpp.*. Id observant citati scriptores, & adfirmat etiam Waltonus *in prolegom. ad Polyglot.* De hac versione legatur etiam Michael de la lay *praef. ad Biblia Parisiensia*.

Consonum instituto nostro existimamus nonnulla tradere de Chaldaica paraphrasi. Verbum *Tirghem* apud chaldaeos significat *exponere*, *interpetrari*, & *transferre* de una in alteram linguam. Hinc *Meturgam*, seu *Metarghem* valet *interpres*. *Targumà* vero, seu *Targum* exprimit generatim interpetrationem, expositionem, & translationem ex una in aliam linguam, sive presse literam sequatur interpres, sive liberiori stylo, & novo idiomati accommodato sententiam auctoris exprimat. Verum deinceps invaluit usus apud hebraeos, ut nomine *Targumim* intelligerentur dumtaxat paraphrases chaldaicae sacrarum Scripturarum. Si audias talmudicos magistros originem Targumim longissime repeteres, cum traditum dictitent in monte Sinai Ita scribunt ad *Kidduscin fol.* 49. Alii vero cum Rabbi Azaria in *Meor Enaim part.* 3. censuerunt explanationem chaldaicam incoepisse tempore exilii babylonici, propter hebraeorum consuetudinem usurpandi eam linguam, donec Onchelosus omnia simul collegerit, & quasdam explicationes de suo addiderit. Videntur in hanc opinionem descendere Waltonus *proleg.* 3. *ad Biblia polyglotta*, Humphredus Prideaux in *connex. V. & N. Testam. part.* 2., Bellarminus *lib.* 2. *de Verbo Dei cap.* 15. Xystus Senensis *Bibl. lib.* 4., Iulius Bartoloccius *part.* 1. *Bibl. Rabb.* Verum non indiguisse judae-

os in

os in statu babylonicae servitutis huiusmodi versione ex eo patet, quod septuaginta illorum annorum spatio suæ linguae vernaculae obliti nequaquam sunt, sicuti & in Ægypto spatio fere ducentorum annorum nativum loquendi modum nequaquam perdiderunt. Hoc quoque comprobatur ex rerum omnium suarum diligentissima custodia. Sed quod rem maxime conficit tum Ezechielem, tum Jeremiam in suis apud populum concionibus, quas scripto quoque mandarunt, hebraice locutos constat, quod etiam demptis paucis fecit & Daniel, Esdras, & Nehemias. Qua quidem ratione non providissent hebraeorum tunc temporis intelligentiae. Insuper supervacaneum omnino foret, ut Esdras post reditum e Babylone sub lingua dumtaxat hebræa legem Mosis publice legeret, si hebraei neutiquam, quae legebantur, perciperent. Neque quidpiam eruitur, quod huic veritati opponatur, ex 2. Esdr. VIII. 8., uti observat Stephanus Morinus *exercit. de lingua primaeva*. In tota siquidem narratione illa ne unum quidem verbum habitae expositionis sub diversa lingua, & chaldaicae nulla mentio, sed dumtaxat ibi instruimur Esdram indesinenter legem a mane usque ad meridiem perlegisse, & tunc dimisisse populum ad prandium. Si vero statuamus, quod gratis admittitur, Levitas eidem populo legem exposuisse, undenam certi sumus chaldaice fuisse locutos? Si verba legis populus intellexit sub hebraica lingua, sub eadem profecto intelligere poterat & explicationem. Conferatur Valentinus Ernestus Loescherus *de causis* L. H., & Elias Dupin *dissert. praelimin. histor Eccl.*

Quamquam illud, quod Chaldaicae paraphrasi vetustatis decus deferunt judaei, denegandum videatur, recedi tamen ab illorum sententia nequit, qui usum Targum ante Christum invaluisse propugnant. Chaldaicos idiotismos e recessu Babylonis in Palaestinam notos fuisse judæis

judaeis, eorumdemque usum incoepisse aliis atque aliis paulatim redeuntibus judaeis, licet nunquam perdiderint proprii idiomatis notitiam, testata res est, cum iam in confesso sit apud omnes, vernaculum ipsorum sermonem tempore Christi mixtum plane fuisse utraque lingua, hebraica scilicet atque chaldaica, quod facillime contingere potuit ob earumdem affinitatem. Conferatur clariss. Bernardus De Rossius *in tractatu de lingua Christi adversus Diodatum*. Hac itaque de causa emergi potuerunt expositiones chaldaicae vel vocum singularum, vel integrorum versuum ad utilitatem palaestinorum, eorumque praecipue qui in regionibns chaldaeorum versabantur, quos maximo numero fuisse constat, ut deinceps efformatae fuerint uberiores paraphrases, eadem utique ratione qua excreverunt commentarii, & illustrationes supra graecorum scriptores. Itaque audiendus non est Joannes Morinus, qui praeter suum Samariticum Pentateuchum nihil pervetustum concedit circa hebraeorum literaturam, & eo progreditur ut in quintum Ecclesiae saeculum reiiciat hasce paraphrases. Sic *exercit. Biblicar. lib.* 2. *exercit.* 8. *cap.* 2. se potissimum tuetur silentio Origenis, & Hieronymi. Causam tamen huiusce silentii depromit Huetius *in dissert. varii argum.*, ubi ait: *nec antiquitatem paraphrasium perpetuum Origenis, & Hieronymi silentium oppugnat. Nam vix hebraice balbutiebat Origenes, ut aliquando Deo favente ostendemus. Hieronymo autem non fuerunt ignotae hae interpretationes: multa quippe profert in quaestionibus hebraicis in Genesim, aliisque sexcentis locis, quae non aliunde, quam ex chaldaicis interpretationibus videntur petita*. Certe Hieronymus *praefat. in Daniel.* fatetur sero se ad linguae chaldaicae studium contulisse. Adeatur Xystus Senensis *Bibl. S. lib.* 4., & Jacobus de Long *loc. cit.*

Paraphrasis quæ nomen auctoris primo praeseferat est ea On-

Digitized by Google

ea Onchelosi. Hebraeorum opinio est fuisse proselytum quemdam ex stirpe chaldaeorum, qui ad sacra judaeorum se receperit. Distinguendus est ab Aquila græco interprete, de quo infra *cap. V.*, prout evincit Humphredus Prideaux *in connex. seu armonia N. & V. Testam. part.* 2. *lib.* 8., Huetius *in lib. de clar. interpr.*, *& loc. cit. tom.* 2., & Montfaucon *in prælimin. ad hexapla Origenis*. Maximam obtinuit hæc interpretatio existimationem tum apud judæos tum apud christianos, quia pressius, uti notat Wolfius *par.* 2.*bibl hebr.*, inhaerens literae sensum magis e contextu profert, quam in eumdem inferat. A fabulis, & excursionibus ita aliena est, ut paucissimarum exempla ibi deprehendas; & christianorum expositioni oraculorum sæpissime iuvat; ac denique ita elegantiam chaldaicæ linguæ sectatur, ut reliquas paraphrases merito superet. Conferatur Huetius *lib. de clar. interpp.* Solus est Galatinus qui asserat totam Scripturam vertisse Onchelosum: caeteri enim eruditi existimant solum Pentateuchum transtulisse. Legatur Bartoloccius *tom.* 1. *pag.* 414.

Aliam paraphrasim constat efformatam, quæ auctorem præsefert Jonathan quemdam Usielis filium. Multa comminiscuntur hebræi super Jonathan istum, sed sibimetipsis adversantur. Cum enim tradant *in Meghillà cap.* 1. eum scripsisse ex ore Aggaei, Zachariae, & Malachiae; in alio Talmudis tractatu, scilicet in *Bavà Batrà* discipulum iactitant celebris inter eos senioris Hillelis, quod concedi nequit nisi anteponendo illius aetatem ad tercentum & amplius annos. Raymundus Martinus *in Pug. Fid. part.* 2. *cap.* 8. miracula recenset, quae hebraei volunt contigisse occasione hujus paraphrasis, sicuti etiam Buxtorfius *lib. de abbreviaturis*. Non desunt qui affirmant Jonathanem edidisse interpretationem chaldaicam Pentateuchi sicuti & Prophetarum. Sic Petrus Galatinus *de arcan. cathol. verit. lib.* 1. *cap.* 3. Verum

melioris

Digitized by Google

melioris critices scriptores ob maximum discrimen inter utramque paraphrasim statuunt Prophetarum oracula solummodo transtulisse, inter quos & Wilh. Schickardus *in Bechin. happeruschim.*, Prideaux *part. 2. armon. N. & V. Testam.*, Richardus Simon *lib. 2. hist. Eccl.*, unde merito Wolfius *loc. cit.* concludit: *tota operis tela eiusmodi habitum praesefert, ut securius recentiorem, & talibus rebus idest talmudicis fabulis, quibus abundat, adsuetam manum hic agnoscas, in primis cum antiquitas de auctore illo, qui praetexitur, taceat*. Vertit itaque Jonathas tantum Prophetas tam maiores quam minores. Animadvertendum tamen est aliena manu deturpatum opus ad nos pervenisse, quo factum est, ut barbaro stylo, & inusitatis vocibus ubique compareat, & quod deterius est cum plurimis commentis talmudicis. Neque inde arguendum cum Ioanne Morino illud esse recentioris aetatis, cum, prout notat Ludovicus Capellus *in arcano punct. revel.*, dicendum sit nonnullis in locis non solum Ionathanis, sed etiam Onchelosi Targum, immutata fuisse antiqua locorum, provinciarum, aliarumque rerum nomina ab audaci judaeo. De illo recte Huetius *lib. de sacr. interpp.* §. 6. nos docet, *in prioribus prophetis castiorem se praebuisse & simpliciorem Ionathanem; in posterioribus vero obscuris nimium & perplexis vocibus diffusum, & lucis inferendae gratia, allegoriis infarciendis liberiorem*. Legatur Ioannes Ovvenus *in Teologumen*. In Polyglottis Antuerpiensibus cura Ariae Montani expurgatum aliqua ex parte prodiit cum versione latina Alphonsi de Zamora, quam ipse Arias emendavit, quaeque rursum emendata reperitur in Anglicanis. Conferatur Waltonus *in prolegom. num.* 12. §. 20. Paulus Fagius *in notis ad paraphr. Onchelosi latinam* sequens Galatinum cudisse Ionathanem versionem Agiographorum propugnat, sed melioris notae eruditi ipsi non favent, & cum hebraeis ipsis

is ipsis incertum faciunt Agiographorum chaldaicorum auctorem. Legatur Wolfius *de paraphr. chald. Agiographorum.*

Extat & tertium Targum, cuius auctor prorsus ignoratur, & vulgo appellatur Jerosolymitanum. Leusdenius *in Philog. hebr. dissert.* 6. ita appellatum censet vel ab urbe, in qua efformatum est, vel verisimilius quia jerosolymitanam dialectum sequatur. Triplicem quidem chaldaicae linguae dialectum assignant, primam babylonicam, quam usurparunt quandoque Daniel, Esdras, & Jeremias X. 3., & haec caeteris purior. Secunda est jerosolymitana, quae judaeis Jerosolymis & in vicinia commorantibus familiaris fuit, quae caldaeo-hebræa dici potest, & hanc usurparunt Ionathan Usielides, Talmudistae, & nonnulla commentaria, quae hebraei appellant *Medrascim*. Tertiam vero esse dialectum syro-comagenam, sive antiochenam, quae ex antiocheno tractu in reliquas Syriae partes propagata est. Utraque dialecto, jerosolymitana scilicet, & antiochena conscriptum est tertium Targum, ac solum Pentateuchum complectitur. Circa auctorem huius interpretationis legatur Brianus Waltonus *proleg.* 12. *n.* 11., & Franciscus Taylerus *praef. ad Targum jerosol.* Interim nos Wolfii opinioni subscribimus, aliorumque, qui propugnant Targum hoc cum non continuum sit, sed nunc commata plura, nunc capita etiam integra transiliat, interdum vero ad unum idemque comma duplicem afferat interpretationem, pro excerptis ex aliis Targumim habendum esse, quae a variis auctoribus successu temporis sint locupletata; & haec ratio est cur nonnulla huiusce collectionis exemplaria nunc uberiora, nunc minus referta, inveniantur. Istud quoque fabellis pluribus abundare notum est. Praeter citatos scriptores consuli possunt circa Targumim Ioannes Franciscus Buddeus, & Ioseph. de Voisin *in proemio ad pugion. fid. Raym. Martini.*

De ver-

De versione etiam Syriaca aliqua dicenda sunt, cum in eam linguam nedum veteris Testamenti, sed novi etiam translatae sint Scripturæ. Ac primo animadvertendum duplicis generis esse versionem Syriacam, unam videlicet ex græca Septuaginta interpretum deprompta m, alteram vero ex hebraico textu. Priori non utuntur Syri in sacris ritibus, sed secunda, quæ praestantior est, & magis emendata, & non solum a Maronitis adhibita, sed & a Nestorianis, & Jacobitis. In Occidente usque ad aetatem Jacobi Usserii cognita non fuit, nisi translatio ex Septuaginta. Cura itaque Usserii, ejusque impensis exscripta est huiusmodi versio in monte Libani ex libro Patriarchæ Antiocheni anno 1627. manu cuiusdam Josephi filii Davidis, exceptis Psalmis, qui jam sub ea lingua noti erant. In versuum divisione multum discrepat ab hebræo textu. Vide plura apud Boot *in indic. animadvers. sacr.*, & Leusdenium *in Philologo hebraeo-mixto dissert.* 9. Quo tempore vero, & quo auctore prodierit ignoratur. Verisimile tamen est aetate Jacobi Syri, qui Nicaenae Synodo interfuit, & sancti Ephrem iam fuisse compositam, cum de ea mentionem facere videantur. Eiusdem etiam meminit Chrysostomus *in Ps.* 94., Theodoretus variis in locis, Ambrosius *in Exam.*, Augustinus, aliique. Reiicienda tamen est Maronitarum opinio, qui adfirmant circa tempora Salomonis, & Hirami regis Tyri prodiisse, cum unius labii, & quidem pure hebraei essent Palestinæ incolae, & omnes in una eademque commorarentur regione, ut sacrorum librorum nequaquam indigerent translatione. Nihilo secius vel Apostolorum tempore, vel paulo post facile erit sibi suadere fuisse exaratam. Idem dicito de novo Testamento. Verum hallucinari eos existimamus, qui versionem novi Testamenti Syriacam Marco Evangelistae tribuunt, cum nullum in historia

 vete-

veterum hac de re inveniatur vestigium. Insuper impossibile est Evangelium Joannis in syrum vertisse Marcum, cum illud Joannes iam senex occasione hæresum Cerinthi, & Ebionis ediderit post reditum ab exilio triginta fere annis post obitum Marci, uti auctor est Hieronymus, Athanasius, aliique. Negandum non est magni faciendam esse versionem hanc, licet in nonnullis discrepet ab hebraeo codice. Audiamus Boot *in ind. animadvers. syriac.Translatio hæc*, inquit ille, *admodum exacta est & fidelis, & textus hebraici vestigiis ubique fere admodum presse insistit, exceptis libris Paralipomenon, qui admodum foede habentur, &c.* Editio tamen in Polyglottis Anglicanis a mendis expurgata est. Certe nulla alia praeter syriacam linguam habet maiorem affinitatem cum hebraica, & pluribus vocibus, & phrasibus ambae consentiunt. Hinc est quod postremis reipublicae temporibus vernacula hebraeorum lingua erat hebraeosyra, uti melioris notae eruditi probant, & novissime clariss. Bernardus de Rossius in Parmensi Universitate Professor in libro de lingua Christi. Difficiliora etiam novi Testamenti loca saepe explicat textus syriacus, phrasesque in græco dubiae per syriacum dilucide explicantur. Ludovicus de Dieu *praef.* egregiae suae *Gramm. Syriac.* ita scribit: *ipsarum phrasium quae passim in N. T. usurpantur, verus sensus vix aliunde quam ex syriaco petendus est. Phrasim enim Evangelistarum & Apostolorum graecam esse nemo dixerit, & facilius europaeis foret Platoni vel Aristoteli novum Testamentum interpretari, quia sancti viri syriace conceperunt quae graece scripserunt, & linguæ vernaculæ emphasim peregrinis verbis exposuerunt.* Ad huiusce versionis utilitatem demonstrandam, inter alia multa afferemus exemplum illustre desumptum ex vocibus illis Matthaei VI. 11. *panis supersubstantialis*. Harum ambiguitatem tollit textus syriacus, qui vertit

panem

panem indigentiæ nostræ, quo nimirum ad vitae substentationem singulis diebus indigemus, qui non solum est corporeus, sed etiam spiritualis, idest divina gratia. Hinc commendandam intelligimus optimo iure esse Ecclesiam, quae generatim in dominica prece utitur formula illa *panem ... quotidianum* ex Luca XI.2. petitam, in qua includitur uterque panis, spiritualis scilicet, & corporeus, cum utroque quotidie indigeamus. Id improbari a nemine potest nisi ab eo, qui vocabulo *quotidianum* unicam ideam affingeret, scilicet panis corporei. Evanescit siquidem qualil et difficultas si utramque ideam panis corporei, & spiritualis, qui in supernaturali gratia consistit, eidem voci adnectere velimus.

Arabes quoque non una, sed multiplici gaudent in sua lingua Scripturarum versione, idque factum fuit ex eo quod cum arabicum idioma sese diffuderit per totam fere Asiam, & Africam, atque nonnullas Europae plagas, tum hebraei, tum christiani iis respective locis commorantes, eodem, qui ibi servabatur, sermone varias cuderunt versiones Primae huius versionis auctor venditatur R. Saadia non arabicis, sed hebraicis literis expressae; quae tamen paraphrasis potius habenda est quam pura versio. Cum arabica lingua, quemadmodum fatetur etiam Hieronymus *præf. in Daniel.*, non modicam habeat affinitatem cum hebraica, aliquod praestat luminis, & adiumenti, quo facilius nonnulla Scripturarum loca explanentur.

Aliae etiam commemorantur orientales versiones, uti Coptica seu Ægyptiaca, Persica, Æthiopica, atque Indica, quam indicitare videtur etiam S. Joannes Chrysostomus *homil. 1. in Joann.*. Praeter orientales multae aliae versiones celebrantur. Gothicam edidisse versionem Ulphilum Gothorum Episcopum quarto saeculo, post Theodoretum tradunt Socrates, & Sozomenus. Visa etiam

Digitized by Google

sunt Biblia Moscovitica, quae Illyrica lingua primo conscripta fuerunt. Qui plura de hisce versionibus desiderant, sicut & de caeteris, quae in duobus sequentibus capitibus tractabuntur, adeant citatos Scriptores. Modo de graecis versionibus disseremus.

CAPUT V.

De Graecis Versionibus, & praecipue de Septuagintavirali.

QUod spectat ad Graecam versionem Septuaginta Interpretum, tria potissimum occurrunt discutienda. Ac primo num historiae habenda sit fides in qua auctores, & modus quo peracta fuerit, traduntur; secundo quo pretio eamdem haberi oporteat; ac demum num omnes Scripturarum libri ab illis interpretibus in graecum translati fuerint. Historiam hanc didicimus primo ex Aristaea (*a*), qui eam tradit in libello ad Philocratem fratrem, qui sub titulo historiae septuaginta interpretum circumfertur, quam nos brevi exponimus. Ptolemæus Phila-

(*a*) Qui fuerit Aristaeas disces ex Christoph. Wolfio *Bibl. hebr. tit.* Aristaeas, uti ex Bartoloccio, & Joanne Alb. Fabricio *Bibl. graec.*

Digitized by Google

Philadelphus, qui defuncto Ptolemaeo Sotere, eidem in Ægypti regno successit, instructissimam sibi Alexandriæ bibliothecam erexit, & suasu praefecti Demetrii Phalarei viri atheniensis, voluit etiam ut in ea locum haberent judaeorum libri graeco sermone conscripti. Missis ob eam causam nunciis ad Eleazarum judeorum Pontificem, petiit ab eo Ptolemaeus, ut delectis viris moribus ac doctrina praestantissimis, eosdem Alexandriam mitteret, ut sacros codices ex hebraeo in graecum verterent sermonem. Res e voto cessit, ductique sunt mandante Eleazaro septuaginta duo viri Alexandriam, eoque profecti sunt in insulam Pharos, ibique opus a rege quaesitum spatio septuaginta dierum compleverunt. Haec autem Scripturarum nova interpretatio, quae solet nuncupari *Septuaginta Interpretum*, licet septuaginta duo fuerint, fortassis ob numeri rotunditatem, publice, ita præcipiente Ptolemaeo, lecta fuit ipsis audientibus judaeis, qui tunc morabantur Ægipti, & ab ipsis fuit communi consensione adprobata. Deinde viri illi magnificis a rege cumulati muneribus in patriam reversi sunt. Eadem ferme habet Aristobulus, sed addit unicuique interpretum peculiarem cellulam obtigisse, ibique unumquemque seorsim versionem cudisse, ita ut non una, sed septuaginta duae versiones fuerint eodem temporis spatio elucubratae, quae simul conlatae eadem prorsus verba, easdem phrases exhibebant. Hinc a Philone *lib.* 2. *de vita Mosis* a Deo peculiariter fuisse inspiratos creditum est. Huiusmodi narratio pervagata est apud christianos, eamque exceperunt ferme omnes Ecclesiae

---

lib. 3. ubi reperies etiam quid sentiant eruditi de libello illo ad Philocratem. Apud eosdem disces etiam qui fuerit Aristobulus.

siae Patres, quos citat Natalis Alexander *Dissert.* 8. *ad tertiam mundi aetatem*. Data opera historiam hanc vindicare adgressi sunt Isaacus Vossius *in lib. de LXX. interpp. cap.* 14., Nicolaus le Nourrì *in apparat. ad Biblioth. max. PP. lib.* 1., Iulius Bartoloccius *tom.* 1. *pag.* 464.. & Scipio Sgambatus *in Archiv. V. T.* atque alii etiam. Natalis Alexander *intemperantioris critices* nota inurit eos, qui historiam hanc in fabularum censu reponant; attamen existimamus in eadem neutiquam incurrere illos, qui fundamenta sedulo expenderint, ac difficultates, quibus infirmetur veritas huiusce narrationis, proponant; quae si ineluctabile efficiant argumentum contra historiam hanc, non est cur quis iure succenseat, si inter putida hebraeorum commenta constituant fore computandam.

Diffitendum non est Ecclesiae Patres plerumque auctoritati cessisse Aristææ, & nonnullos etiam Aristobuli, quos primo, saltem quoad facti substantiam, secuti sunt Philo, & Iosephus. Attamen iuverit observare omnes Justini Martyris testimonio inniti, quod si unquam contigerit eum hac in re fuisse hallucinatum, consequitur eos quoque, qui rem ad examen non revocaverint, falsos fuisse, sed interim sententia haec potius dicenda est solius Justini, quam caeterorum Patrum. In hoc asserendo vestigia premimus Bellarmini, qui *lib.* 2. *de Verbo Dei* refutato cellularum prodigio, deinde ab illorum Patrum auctoritate, qui cum Justino aliter sentiunt, vindicat se, dum ait Justino fabulam a scipsis confictam judaeos venditasse, *unde facile fieri potuit nec minus facile, ut Justino viro sancto fidem habuerint posteriores*. Sed audiamus Justinum ipsum de cellulis loquentem *in cohortat. ad graecos*. *Haec vobis, viri graeci, non ut fabulam, neque ut confictam historiam renunciamus, sed qui ipsi Alexandriae fuerimus, & vestigia domun-*

cularum

Digitized by Google

cellularum apud Pharum adhuc reliqua viderimus , & ab incolis , qui res patrias a maioribus per manus sibi traditas acceperunt , audierimus , ea commemoramus . Ex hoc Justini ardore, quo suadere nititur graecos non solum cellularum veritatem, sed omnem quoque facti substantiam, eruitur, sane de tota historia dubitatum etiam fuisse ea aetate apud christianos. Verum quodnam deinde iudicium prolatum fuit a doctis viris circa cellulas? Hieronymus *praef. in Pentat . ad Desider.* hanc historiae partem, licet firmatam proprio oculorum Justini experimento, vocat mendacium; cui quidem adstipulatur Bellarminus, & reliqui omnes sanioris critices cultores. Licebit itaque & nobis adhuc investigare num reliqua, quae traduntur de hac versione, veritati consona sint , & in dubium revocare conveniat, quamvis veneremur & nos Justinum tamquam praeclarissimum christianae reipublicae lumen, & illustre virtutum exemplar, ut illius opera, & gesta testantur.

Praeterquamquod Justinus ipse multo aliter historiam hanc exhibet *Apolog. 1. pro christianis* , quam *in cohortat. ad graecos*, observandum est Demetrium Phalereum , quem Aristaeas praefectum facit bibliothecae regiae in Ægypto apud Ptolemaeum Philadelphum, illum inquam Demetrium constat apertissime ex Diogene Laertio *in vita Demetrii lib.* 8. *sect.* 78. statim post mortem Ptolemaei Soteris , utpote hominem successori invisum, ab aula eiectum, ac detrusum in carcerem fuisse, ibique obiisse. Id confirmat Hermippi testimonio , cuius auctoritatem magni faciendam esse demonstrat Humphredus Hodius *lib. 1. cap. 3 de textib. original. , versionib. graec. , & latina vulg.* Hoc semel concesso, ruit profecto tota huiusce historiae narratio . Insuper ex loquendi modo, atque ex reverentia quadam rerum hebraicarum deprehenditur sane sub illo Aristaea non hominem

graecum

Digitized by Google

graecum, & gentilem designari, quemadmodum seipsum venditat auctor, sed latere hebraeum, cui cura fuerit suae gentis ludæn exponere sub ore alieno. Quis credat etiam Ptolemaeum huiusce versionis causa hebraeos captivos restituere voluisse, teste Aristaea, qui aestimabantur pretio sexcentorum sexaginta talentorum, atque etiam dedisse septuaginta illis duobus viris mille & quadraginta sex talenta argenti, & quinquaginta auri, idest fere vicies centena millia aureorum italorum (*a*), ita ut plus unum hebraicae legis exemplar illi valuisset, quamquod reliquum suae bibliothecae? Haec certe incredibilia sunt, & excogitata ab hebraeo quodam ad extollendam gentem suam. Addendum etiam postulationem Demetrii, ut septuaginta illi duo viri extraherentur senario numero ex qualibet tribu, quemadmodum tradit Aristaeas, non competere homini graeco, cui cordi esse non poterat, ut honoris circa versionem hanc tribus omnes essent participes. Eo etiam magis destruitur commentum istud cum post reditum e Babylone nonnullarum tribuum iam deperditae erant genealogiae, & apud exteras nationes non speciatim per tribus noti erant judaei. Præstat quoque ut animadvertamus graecam linguam didicisse quidem judaeos illos, qui temporibus Alexandri magni Alexandriam petierint, & Antiochiam. Ast non ita tamen existimandum est de judaeis illis, qui in Palæstina remanserint eo saltem tempore, quod a regno Alexandri interfluxit usque ad tempus versionis, quod breve complectitur spatium annorum quinquaginta; & si quidpiam dicatur cognitionis graeci sermonis acquisivisse propter commercium cum graecis, spectata tamen communi hebraeorum cura nihil addiscendi quod extraneum

(*a*) Due milioni di Zecchini.

neum foret, vix concipi potest inter Palaestinos tunc temporis inveniri potuisse septuaginta duos viros, qui ita graecam linguam callerent, ut idonei essent ad concinnandam sacrorum Bibliorum versionem. Difficultatem hanc agnovisse talmudistas, qui in tractatu *Sopherim cap.* 1. quinque tantum homines tradunt huic operi adlaborasse (*a*). Eleazarum quoque sanctissimum virum sacrarumque rerum custodem vigilantissimum in manus gentium, quarum societatem ex legis divinae praescripto sciebat utique, praesertim quoad res sacras, diligentisime fugiendam esse, libenter & absque difficultate suae religionis depositum tradere voluisse non est existimandum. Certe ob eam causam adfirmant praefati doctores talmudistae *loc. cit.* diem illum, in quo versio ista comparuit, non minus Israeli gravem fuisse ac luctuosum eo, quo illorum maiores vitulum conflarunt; proindeque institutum ieiunium die octava mensis Tebeth. Quod si verum esset, veritati quoque consonum non est huic facinori partem habuisse Eleazarum. His itaque spectatis merito concludit Ioannes Alb. Fabricius *lib.* 3. *cap.* 2. *Adeo incredibilia & pugnantia sunt quae de septuaginta interpretibus in Aristaea, Philone, Josepho, & aliis veteribus leguntur, ut nec cum caeteris historiarum veterum monumentis; nec cum temporibus, moribusque Ptolemaei, ac Demetrii Phalerei; nec cum institutis gentium facile possint conciliari; nec denique secum ipsa satis conveniant, quod a viris doctis Hodio, Vandalio, aliisque prolixe* H *osten-*

(*a*) Non deest qui unum tantummodo auctorem faciat LXX. viralis interpretationis: Zosimus siquidem satis antiquus Scriptor de hac versione agens *nullam narrationis Aristeanae facit mentionem, de uno tantum interprete Ptolemaeo Philadelpho Alexandriam misso locutus*. Münter *praf. ad cap. IX. Daniel. coptum pag.* 34.

oſtenſum eſt. Siquis igitur cogitet judaeos inter gentes illa aetate admodum contemptos, viciſſim amplificandis rebus ſuis etiam per fabulas pronos, profecto is magis magisque detrahet narrationi illi per ſe parum veriſimili fidem, cujus partem iam olim auſus eſt explodere Hieronymus reiectis cellulis. Id confirmat etiam judaeorum ipſorummet de illa verſione diſſenſus. Plura adhuc proferri poſſent, ſed ſatis haec ſunt, ut illorum quis poſſit adſtipulari ſententiae, qui reiectis fabulis de ſeptuaginta interpretibus a Ptolemaeo in Ægyptum arceſſitis, veteris Teſtamenti Libros conſtituunt non ab uno tantum, ſed a variis auctoribus, variisque temporibus non multum inter ſe diſſitis, Alexandriae translatos in gratiam judaeorum, qui graeca lingua utebantur. Uberiora argumenta reperies apud citatos ſcriptores. Ita etiam cenſuit Henricus Valeſius *ad biſtor. Eccl. Euſeb.*, Ludovicus Vives *ad Auguſtin. de civit. Dei lib.* 11. *cap.* 42, Alphonſus Salmeronius, Iuſtus Scaliger *ad Euſebii chronic.*, Richardus Simon *biſtor. critic. V. T. cap.* 2. Elias Dupin *diſſertat. praelim. in Bibl. lib.* 1. *cap* 5., & alii etiam. Non unicum verſionem hanc praeſeferre auctorem ex eo vel maxime comprobatur ex varietate ſtyli ac locutionis, quibus diverſi libri conſcripti ſunt. Eaedem ſiquidem hebraicae voces, eaedemque phraſes in diverſis libris diverſas et phraſes, & voces graecas ſortiuntur. Non eadem quoque diligenti cura tranſlati inveniuntur, cum nonnulli oſcitanter, & absque profunda utriusque ſermonis notitia; alii vero accuratius, ac perſpecta magis ſignificatione ac proprietate verborum. Hinc palam fit, quod placuit etiam Hieronymo *in cap.* 5. *Ezech*, *& cap.* 2. *Mich.* initio conditos græce ſolum fuiſſe libros Moſis, qui publice legebantur. Reliqui vero ſubſequentibus temporibus, praeſertim cum invaluit uſus apud Synagogas legendi etiam Prophetarum oracula, qui incoepit ſub

Antiocho

Antiocho Ephiphane (1). Ex dictis immorari non licet in illorum sententiae refutatione, qui asserunt septuaginta viros in graecum vertisse sermonem non Pentateuchum tantum, sed omnes etiam Scripturarum libros spatio septuaginta duorum dierum, eo innixi argumento quod haudquaquam verisimile fuerit Ptolemaeum librorum cupidissimum hebraicum codicem noluisse integrum atque perfectum. Repudiata siquidem Pseudo-Aristææ fabella corruit etiam huiusmodi opinio.

Absoluta de auctore huiusce versionis disputatione, necessum est ut sermo instituatur de eiusdem auctoritate. Si hebraeorum hellenistarum opinioni adhaereamus sicuti & nonnullorum ex christianis, qui primum illius auctorem faciunt Deum ipsum, cum velint eo afflante conscripsisse septuaginta Interpretes, quemadmodum adfuit hebraeis scriptoribus, maximi profecto facienda esset. Verum opinionem hanc merito exsibilat S. Hieronymus *loc. cit.* ubi ait traditum esse ab Aristaea, & Iosepho viros illos *in una basilica congregatos contulisse, non prophetasse. Aliud est enim vatem agere, aliud est esse interpretem: ibi Spiritus futura praedicit; hic eruditio, & verborum copia ea quae intelligit, transfert* (2). Quamplurimis scatere mendis, & erroribus hanc versionem non

(1) Prohibita judaeis ab Epiphane in sacris concionibus legis Mosaicae lectione, coeptum est legi in synagogis aliquot capita Prophetarum, atque hujusmodi usus intermissus non fuit etiam iis temporibus in quibus renovata est legis lectio. Propheticae lectiones appellantur *haphtaroth*, idest *dimissiones* a verbo *patar dimittere*, quia populus finita hac secunda lectione dimittebatur, Vide Bartorilium *de abbreviat.*, & Wolfium *de lect. prophet.*

(2) Ex eo autem quod idem Hieronymus *præfat. in Paralip. ad Chrom. & Rogat.* dicit: *Nec hoc*, errata scilicet, *septuaginta interpretibus*

non solum lapsu temporis post Hieronymi tempora, sed etiam illius aetate, prout ipsemet testatur variis in locis, ut in *quæstionib. hebraic.*, *in lib. de optimo gen. interpretandi*, *& ep. ad Suniam*, *& Fretellam*, ubi eam frequenter suo more carpit, & exprobrat; *in praef.* vero *in Paralip.* ait, quod si versio septuaginta interpretum integra haberetur, pepercisset labori suo in transferendis ex hebraico Scripturis. Justinus ipse *Dialog. cum Triph.* secundo Ecclesiae saeculo conqueritur de depravatione eiusdem versionis, & Origenem, Lucianum, & Hesychium in illius emendatione plurimum insudasse notum est. Neque præstat effugium illud, quo utuntur nonnulli asserentes veram septuaginta interpretum versionem vel penitus interiisse; vel amanuensium imperitia, vel temporis diuturnitate depravatam; cum iniurii hac ratione sint divinæ providentiæ; cui certe tribui nequit, ut quod sanctis viris semel inspiravit ad totius Ecclesiae perpetuam utilitatem, non curet deinceps ne intercidat. Si enim providit Deus ut opus Mosis remotissimis temporibus consignatum literis, integrum perfectumque hactenus superesset sub eadem loquendi forma, quæ Ecclesiae familiaris neutiquam foret, eadem ratione huic versioni prospexisset a se pariter inspiratae; & eo vel magis cum graeca Ecclesia ea semper usa fuerit

pretibus, qui Spiritu Sancto pleni, ea quæ vera fuerunt transtulerant, adscribendum .... contra nostram sententiam, atque Hieronymi allata verba nil erui potest: addit enim: *sed scriptorum culpae adscribendum, dum de emendatis inemendata scriptitant*. Per ironiam igitur loquitur, aut ex eorum ad quos scribebat, opinione, aut ad sui invidiam minuendam: sciebat etenim exemplaria inter se *diversa*, *dissonantia*, ac *corrupta vera esse non posse*, Hieron. *in Jos. & Paralip.*, adeoque neque a Deo profecta, ut nos etiam statim videbimus.

Digitized by Google

rit in divino cultu, & ad dogmata comprobanda usurpaverit. Ex iis etiam quae superius allata sunt circa auctorem, satis colligitur denegari eidem oportere specialem Dei afflatum. Neque obstat communem illam fuisse sententiam veterum Patrum, cum potius dici debeat solius Pseudo-Aristaeae, & inter christianos solius Justini, quorum auctoritatibus caeteri absque ulla disquisitione acquieverunt. Nos hac in re Hieronymi patrocinio delectamur. Verumtamen roborant argumentum adversarii ex frequenti huiusce versionis usu apud Apostolos, & Evangelistas; & quod Ecclesia Catholica per plura sæcula eamdem interpretationem secuta sit. Verum si ex usu Ecclesiæ argui posset hanc versionem inspiratam a Deo fuisse, ipsumque usum comprobare ex se divinam authentiam, sequeretur sane, cum plane constet ex Hieronymo, Justino, Origene, Luciano, Hesychio, aliisque multis in locis vitiatam, multisque revera erroribus refertam fuisse, hosce errores a Spiritu Sancto vel profectos fuisse, vel ad damnum Ecclesiæ non impedivisse, ut irruerent; quod blasphemum est dicere. Blasphemum dixi etiamsi errores illi dicerentur neque fidei officere, neque moribus; cum, præterquamquod id ignoretur, cum non liqueat quibus in locis expurgata fuerit ab antiquis Patribus, translatio libri alicuius in alteram linguam, quæ Deum auctorem habeat, in nullo potest nec minimo deficere; quemadmodum primi auctores, si a Deo inspirati sint, concipi nequit ut ne minimum quidem deficiant. Commode itaque respondetur, cum Apostoli græce conscripserint, usurpasse illos veterum Scripturarum testimonia sub ea lingua qua tunc comparebant; sed ut verbum Dei, non ut erant interpretationes. Nos quoque adducimus cum Ecclesia ipsa Vulgatæ latinæ tesrimonia, ea tamen mente, ut quisque intelligat illa esse quæ sub hebraica lingua aliquando dictaverit

verit

verit Deus; ex quo aperte patet non sequi necessario, ut ex usu Ecclesiae argui debeat inspiratio cuiuscumque versionis, cum usurpari mereatur in iis omnibus, in quibus congruit cum textu originali. Cæterum, licet repudiandam censeamus Aristææ historiam, & auctori huius versionis eamdem inspirationem negemus, qua instructi fuerint primi scriptores, adfirmandum tamen est providam Dei cuncta dispensantis, ac regentis curam singulari quadam ratione super huiusmodi versione resplenduisse. Etenim per eam Deus Apostolorum prædicationi veluti viam stravit, cum gentes, lingua sibi nota, ea quæ ab Apostolis prædicabantur, a Prophetis dudum prædicta, legere poterant. Si autem huiusce versionis vetustatem spectemus, & quod secundum eam sæpe veteris Testamenti oracula in novo adlegentur, insignem esse illius auctoritatem nemo non intelligit, etsi ideo pro divinitus inspirata, aut errorum immuni neutiquam sit habenda. Singularem quoque illius esse usum tum in veteris Testamenti locis apte intelligendis, tum in stylo Scriptorum novi Testamenti illustrando nemo eruditorum dubitaverit. Circa illius utilitatem legatur etiam Waltonus *in appar. proleg.* 19. Abraham Calovius *in critic. sacr. diatr.* 11., Michael Wallerus *in officina bibl.* Præ cæteris consulatur *Biblioth.* de le Long, quam Boermerus notis illustravit, & auxit; Sylverira etiam *in prælud. & instit. ad S. Script.*, Josephus Pasinius *dissert. polem. de præcip. S. Bibl. linguis, & versionib.*, Joannes Baptista du Hamel *Instit. Bibl. seu S. Script. prolegom.*, Augustus Pfeifferus *crit. sacra*, & Sistinus Amama *Antibarbar. biblicus*. Nonnullos huius versionis errores notat etiam Robertus Bellarminus *loc. cit.*. Joannes Franciscus Buddeus *in hist. Eccl. V. T.* observat septuaginta non asserere Heli Sacerdotem temere iudicasse de Anna orante, sed iudicium illud tribuere puero, seu famulo

illius

illius. Hinc ex hoc, & aliis etiam testimoniis colligit ipse, & multi ex eruditis ab ingenio Alexandrinorum judæorum non abhorrere in Scripturae interpretatione, ut dent operam ne gentis suæ apud alias nationes existimatio imminuatur. Sub Xysto V. nova huius versionis editio Romæ facta est anno 1587. conlata cum vetustissimo codice, qui in Vaticana asservatur. Rursum eamdem Xystinam edi curavit cum suis adnotationibus Flaminius Nobilius anno 1588., quam cum latina versione publici iuris fecit Ioannes Morinus, & extat in Polyglottis Anglicanis. Novam nunc parant & absolutissimam editionem inter Anglos eruditissimi viri conlatis undique per orbem celebrioribus codicibus. Et haec satis de versione quæ vulgo dicitur Septuaginta interpretum.

Altera etiam prodiit graeca versio circa annum a Christo nato 130., cuius auctor fuit vir quidam natione Ponticus, nomine Aquila, quem nonnulli perperam cum Oncheloso confundunt, uti probant Ioannes Voisin *ad pugion. fid. Raym. Martini*, Bartoloccius *tom* 4. *pag.* 282., Ioannes Morinus *exercit. Bibl.*, & alii. Vixit sub Adriani imperio; imo S. Epiphanius, licet non satis firmo fundamento, tradit fratrem fuisse uxoris ipsius Adriani. Ex gentilismo christianae religioni nomen dedit Jerosolymis, deinde vero cum astrologicas praeditiones suas christianis non probari intelligeret, in iudaismum prolapsus est. Quoad ipsam versionem pertinet, notum est fragmenta tantum hinc inde dispersa in veterum Patrum scriptis inveniri, quae diligenter collegit Bernardus Montefauconius in exaplis Origenis. Quid de ea versione iudicaverit Hieronymus, legitur in ipsius commentariis *sup. cap.* 8. *Isaiae*, ubi inquit: *Aquila Bibliam in linguam graecam contentiose transtulit, & non solum verba, sed & etymologias verborum transferre conatus est: unde proiicitur a nobis.* Huius versionis lectionem hebraeis permisisse Iustinianum

nianum constat ex *novella* 146. . In Talmude Ierosolymitano *tract. chidduscim. cap.* 1. dicitur efformatam versionem hanc ab Aquila sub disciplina rabbi Achibà , *&* *tract. Meghillà cap.* 1.*n.*11. usum fuisse Praeceptoribus rabbi Eliezer , & Iosua, qui ad illius laudem illud usurpavit Psalmi *: Pulchrior ex filiis hominum* . Verum cum ex Ieronymi testimonio pateat opus Aquilae infeliciter obsolutum fuisse , immerito commendatur . Fuit Irenaei opinio, sicuti & Eusebii & Epifanii, quamplura oracula veteris Testamenti Christum spectantia in contrarium sensum detorsisse . Hanc tamen ab eo notam removet Bernardus Montefauconius *in prolog. ad exapl. Origen. cap.* 5. . De Aquila legatur etiam Ioannes Alb. Fabricius *Bibl. graec. lib.* 3. Humphredus Hudì *de text. ogiginal. sacr. script.*, le Long., Martianaeus, Augustus Pfeifferus *in Crit. Sacra*, & Io. Henricus Hontingerus *in thes. philog.*.

A Theodotione etiam exarata fuit graeca versio non sine perspicuitate ac fide , ob eamque causam sub illius versione Danielis libros aliquando legit Ecclesia teste Hieronymo *praef. in Daniel.* , *&* *Iob.* fuit Theotion patria Ephesinus, Marcionis erroribius primo addictus, ac deinde ad judaismum se recepit. Scripsit sub imperio Commodi. A nonnullis confunditur cum Ionathane, quem errorem refutavit Drusius. De illius versione legatur Fabricius , & alii etiam quos supra memoravimus .

Quarto loco Symmachi versionem ponimus adhaerentes Montfauconio, qui contra Petavium *praef. ad exapla Orig.* invicte demonstrat post Theodotionem hanc provinciam adgressum fuisse Symmacum anno 4. imperii Severi . Fuit is natione Samaritanus, deinde judaeus. Postea Christi fidem amplexus est, & assecla inde factus errorum Ebionis. In illius versione scripsit Hieronymus *praef. in Iob.*, & ait multum sapere versionis Septuaginta prae editione Aquilae . Prae-

Digitized by Google

Praeter eas quas recensuimus, duae etiam aliae elucubratae sunt versiones graecae, quarum prima fertur innotuisse sub imperio Antonini Caracallae anno Christi 217. in Jerico, quae propterea Jericuntina appellata est. Altera prodiit Nicopoli prope Actium anno Christi 228., a qua nomen Nicopolitanae sortita est. Qui fuerint illarum auctores ignorant eruditi. Visum fuit Hieronymo *lib. 2. contra Ruffin.* utrumque fuisse judaeum. At Montfauconius christianum hominem Nicopolitanam elaborasse contendit: siquidem Christum Jesum nomine Salvatoris appellant.

CAPUT VI.

De Latinis Bibliorum Versionibus, videlicet

Itala veteri, Hieronymiana, & Vulgata.

Nullus est qui veterum historias vel leviter attigerit, cui probe notum non sit, quo Romanorum imperium latius diffundebatur, eo etiam protendi, ibique propagari illorum linguae notitiam, cum ubi erat parta victoria, ibique collocabatur latinorum colonia. Exploratum quoque est latinae gentis quamplurimos viventibus adhuc Apostolis christianae religioni nomen dedisse. Cum itaque Scripturarum amore ducerentur & latini christifideles, in quibus designari Christum, eiusque gesta describi ap-

prime noverant, latinam sibi earumdem versionem providere curarunt. Hinc est quod multae comparuerunt latinae versiones, ut Hieronymus *praf. in Josue* asserere non dubitaverit tot extitisse, ut numero praefiniri non possent. Una tamen selecta est, quae caeteris praestantior videbatur, ut publicae in Ecclesiis lectioni inserviret, ac fidelium institutioni. Ea quoque usi sunt latini Patres, cui *Italae* nomen dedit Augustinus, *Vulgatae* seu *communis* Hieronymus, eamque *veteris* nomine appellavit Gregorius Magnus, quod nomen maxime retinuit, postquam suam edidit versionem S. Hieronymus. Concinnata illa fuit sub initio Ecclesiae ad normam editionis Septuaginta interpretum ab incerto auctore, fortassis Apostolorum discipulo, uti visum fuit Baronio, Bonfrerio, Serario, aliisque. Augustinus italam caeteris interpretationibus praeferri debere censuit, eo quod, inquit ipse, fuerit verborum tenacior cum perspecuitate sententiae. Dubius tamen haesit Hieronymus pluribus in locis cuinam ex latinis versionibus fides adhibenda esset, ac propterea novam agressus est, de qua nunc sermo erit.

Erat Hieronymus vir prompto atque acerrimo ingenio, quo incredibilem sibi, prout aetas ferebat, in omnium ferme disciplinarum genere eruditionem comparavit. Linguarum studium ita coluit, ut non solum in latina, & graeca valde peritus, sed in hebraica etiam, eiusque affinibus proculdubio haberetur. Illius eruditionem vehementer commendat Augustinus *lib.* 18. *de Civ. Dei cap.* 43., *& lib.* 1. *advers. Julian.*, aliisque saepe locis, Xystus Senensis *Bibl. S. lib.* 4., Erasmus, Ribera; iique omnes qui sancti Doctoris opera attente perlegerint, illius doctrinam mirari non desinent, uti animadvertunt collectores Mauriani. Eo igitur cognitionum amplissimo apparatu graecam primo Septuaginta versionem transtulit in latinum idioma; cumque super varias Scripturarum quaestiones, earumdemque intelli-

telli-

telligentiam undequaque interrogaretur, constituit tandem, ut plura simul enodarentur, novam condere ex hebraico fonte latinam versionem. Ad id etiam consilii ductus est amicorum hortatu; prout ipse fatetur *praef. in Paralip. & Isaiam*, qui querebantur italam veterem non paucis scatere mendis & erroribus, sicuti etiam ut ab hebraeorum conviciis tueretur Ecclesiam, qui ostendebant textum, quo utebantur latini, frequenter ab hebraico discrepare. Vix id consilii executioni demandaverat Hieronymus, quod adversarium habuit non solum Ruffinum, & Palladium, verum & Augustinum ipsum, uti patet ex eius epistola 8 ad Hieronymum, in qua contendit maximi habendam esse LXX. interpretum auctoritatem, quam per plura saecula venerata est Ecclesia; & si hallucinatos eos fuisse quis dicat, eo magis dicendum falli posse unum hominem. Deinde non parum confusionis in Ecclesiam invehi, si pro varietate locorum varia etiam in eadem lingua legeretur latina versio. Hisce tamen difficultatibus non est commotus Hieronymus, sed eas explodit *in ep. 89. ad eund. Augustinum*, in qua prudentiae suae committit se sciscitando quare post tot interpretes in explanatione Psalmorum ipsemet Augustinus diversa sentiat. *Si enim*, inquit ille, *obscuri sunt Psalmi; te quoque in eis falli potuisse credendum est; si manifesti, illos in eis falli potuisse non creditur, ac per hoc utroque modo superflua erit interpretatio tua .... Si cui*, ita concludit, *legere non placet, nemo compellit invitum*. Prodiit itaque Hieronymiana versio, atque ita per Ecclesias legi caepit, ut parem sibi lapsu temporis vindicaverit auctoritatem cum vulgata, seu itala. Usurpata est etiam ea praesertim de causa, quia sensus hebraici textus in ea felicius exprimeretur, & barbaro quodam neglecto dicendi genere, quo erat itala exarata, purior ac nitidior latina elocutio ubique reperiretur. Non

omnes

omnes tamen veteris Testamenti Libros vertit Hieronymus. Novum etiam Testamentum non transtulit quidem, sed innumeris in locis emendavit, quod ipsemet fatetur *in libr. de Scriptor. Eccl.* dum ait, novum Testamentum graecae fidei reddidisse. Damasus quoque sanctus Pontifex nihil aliud a Hieronymo petiit, nisi ut novum Testamentum expurgatum adderet. Deo quidem adiuvante huic operi manum admovisse Hieronymum non est ambigendum; singulari tamen Spiritus Sancti afflatu, quemadmodum & Scriptores Canonici, donatum fuisse, ac nomine totius Ecclesiae conscripsisse, licet opinio istæc Cano, Salmeronio, Morino, & nonnullis aliis arriserit, absque iniuria ipsius Dei asseri nequit. Quandoquidem in translatione interdum errasse Hieronymum ingenue ipse fateretur, ac etiam manum rursus apposuisse ad errorum emendationem; & viri doctissimi nonnullos adhuc superstites naevos deprehendunt. Haec autem cum speciali Dei adsistentia componi nequeunt. Neque obstat quod, si ita non esset, Ecclesia certissimam in latino sermone non haberet Scripturarum expositionem. Quandoquidem ante Hieronymum extiterat latina versio, quæ si non speciali Numinis directione fuerit conscripta, adfirmandum procul dubio est certam non fuisse tunc temporis Ecclesiam de puritate suae versionis, proindeque versione divinitus accepta aliquando caruisse; quod si incongruum foret, ut careat, sequeretur sane Hieronymi laborem supervacaneum omnino fuisse. Potius itaque dicendum est neutrum eo caractere insignitum esse. Neque dici potest lapsu temporis priorem versionem corruptam sensim fuisse, eo qnia id derogaret divinae providentiæ, si semel porrexisset Ecclesiae infallibilem sub latina lingua versionem. Praeterea iu codice Scripturarum, quem Synodus Tridentina canonicum & authenticum declaravit, nequaquam admisit Hieronymi versionem Psalmorum,

um, quod quidem posthabita alia quacumque utilitate effecisset, si mens Concilii fuisset, id quod transtulit Hieronymus, a Spiritu Sancto accepisse. Sed quod propugnamus magis innotescet ubi sermo erit de Vulgata editione, qua inpraesentiarum utitur Ecclesia.

Paucis absolveretur disputatio de latina versione quae communiter Vulgata appellatur, si tam nonnulli ex Catholicis, quam omnes Protestantes in proponenda fidelibus huiusmodi translatione Ecclesiae mentem in Synodo Tridentina congregatæ assequi voluissent. Verum ex eorumdem præposteris explicationibus non parva nobis circa hanc versionem suppeditatur disserendi materies. In eo siquidem decreto constitutum est, ut in publico Ecclesiæ usu Vulgata versio usurparetur, eo quod iudicaverit sancta Synodus eam esse *authenticam*. Vocem hanc tam Protestantes, quam nonnulli Catholicorum ita accepere, ut non alium sensum præseferat, nisi Vulgatam juxta Synodum eiusdem omnino esse dignitatis cum textu hebraico. Non eodem tamen consilio in eam sententiam descendunt, sed illi ut Ecclesiæ exprobrent, eiusque auctoritatem irrideant; hi vero quia provocati ad veritatem hebraicam habeant quo se tueantur, nimirum ex Ecclesiae præscripto non teneri se, neque quemvis alium nisi Vulgatæ textum auscultare & amplecti, repudiato etiam hebraico textu. Utrique tamen errant gravissime, magis tamen Protestantes. Si enim ii Catholicorum occasionem præbent adversariis, ut clamitent inter suos, abripi Catholicos inter alia etiam hoc praeiudicio, ut nimirum credant Vulgatam a Deo proficisci, quemadmodum codex hebraicus quod ipsi invicte refutant; magis inquam ipsi peccant cum privatorum Catholicorum opiniones venditent suis tamquam Ecclesiæ definitiones, communemque sententiam, atque ita in contemptum adducant ipsam Ecclesiam, eiusque sum-

mum

Digitized by Google

mum, & infallibilem magistratum, quem quidem odio prosequuntur plusquam Vatiniano, ne sibi adeptam videant libertatem, seu potius opinandi licentiam. Ast si pacato animo animadvertere tandem voluissent editioni vulgate authentiam illam adiudicasse Concilium dumtaxat ob congruitatem, seu consensum cum textu hebraico præ cæteris quibuscumque versionibus, non vero quasi opus sit Spiritus Sancti, causam inde non quaesivissent tot convicia congerendi in Sanctissimos illos Patres, neque *barbarum* appellassent decretum illud. Idipsum pariter si adnotassent nonnulli ex Catholicis, divinam illi nunqua tribuissent auctoritatem, nisi illam quam excipit ex textu originali, quem exhibet, neque tantopere torsissent se in iis locis defendendis, in quibus vulgata discrepat ab hebraeo, vel non satis illius sensum attingit. Inter eos qui hanc operam perdunt eminent Fraſserius, & Blanchinius. Qua quidem in re iure merito damnandi sunt, minus tamen quam hæretici, qui plerumque privatorum Scriptorum hallucinationes Ecclesiae ipsi iniquo animo accenseant. Neque alia utique ratione illis parcendum, nisi quia doctissimi, qui reputantur inter illos, ita auscultari velint, ut quod dixerint pro re certa necesse sit teneri & explorata, & interim putent idipsum contingere apud Catholicos in religionis negotio; quod falsum omnino est, cum non privato Scriptori, sed Ecclesiæ obtemperent. Eam vero fuisse, quam esposuimus Concilii mentem, ex ipsius verbis *Sess.* 4. abunde patet, ubi legitur ideo authenticam declarari eo quod præ cæteris versionibus congruat cum textu originario, quemadmodum animadvertit Natalis Alexander *diss.* 39. *ad quart. Eccl. sæc. artic.* 5. unde subdit: *non sic authentica dicitur quasi fontibus hebraicis, vel græcis præferenda sit vel coaequanda, sed coeteris latinis versionibus dumtaxat vulgatam nostram præfert.*

Syno-

Synodus Tridentina. relictis textibus originariis eodem in statu, in quo prius erant. Eadem repetunt Bellarminus *lib.* 2. *de verbo Dei cap.* 10., Salmeronius, qui interfuit Concilio, *proleg.* 3. Serarius *proleg. cap.* 19., Xystus Senensis *lib.* 8. *Bibl. S.* & alii quos videre est apud eundem Natalem. Hoc itaque decretum opportune sancitum fuit non ut anteponeretur Vulgata hebraico fonti, neque ut haberetur ita autentica, ut ab omnibus omnino naevis immunis censeatur; sed cum ea aetate iam in immensum creverit tanta versionum varietas, imminebat periculum, ne, succrescente numero interpretationum inter se dissidentium, sententiae certitudo sub latino idiomate deficeret, necesse omnino erat ad tollendum quemcumque abusum, una seligeretur ab œcumenico Concilio, quae proprius accederet textui originario, qualis proculdubio est Vulgata. Calumniatur itaque Calvinus dum asserit definisse Concilium per illam vocem *authenticam* Vulgatam codici hebraico praeferendam esse. Quam quidem calumniam convellunt Salmeronius *loc. cit.*, & Bellarminus *de verbo Dei lib.* 2. *cap.* 9. *Non enim*, inquit ille, *fontium ullam fecerunt mentionem, sed solum ex tot latinis versionibus, quae nunc circumferuntur, unam delegerunt, quam caeteris anteponerent; quod Ecclesiae gravitatem & constantiam decebat.* Ex eodem quoque Bellarminio refutatur illorum opinio, qui a Spiritu Sancto profectam jactitant Vulgatam. Disputans *lib.* 15. *de Justific.* ait *ne frustra labores in ostendendis vitiis vulgatae editionis, audi obiter haec pauca. Synodus non adprobavit menda, quae linguarum periti, & in sacris litteris non mediocriter versati in ea deprehendunt. Adprobavit duntaxat vulgatam editionem repurgatam a mendis, quae vitio scriptorum, vel chalcographorum in ea obrepserunt, nec eam tamquam caelo delapsam adorari voluit. Interpretem illius, quisquis fuerit, sciebat non*

fuisse

fuiſſe prophetam, nec nos meruiſſe hactenus quemquam, qui eodem in omnibus Spiritu ſacras litteras a propria ac nativa lingua in aliam linguam transfuderit. Ac proinde nec cohibuit, nec cohibere voluit ſtudioſorum linguarum induſtriam, qui aliquando docent, melius potuiſſe aliqua verti, & uno eodemque verbo vel plures nobis ſuggeſſiſſe Spiritum Sanctum ſenſus, vel certe alios commodiores, quam e vulgata editione poſſent haberi : ſed in honorem vetuſtatis & honoris, quem ei iam a multis annis detulerant Concilia latina, Vulgata ſelecta eſt, cum certum ſit nullum inde haberi poſſe pernicioſum errorem, & tuto illam, & citra periculum legi poſſe ad coercendam etiam confuſionem, quam adfert multitudo tranſlationum, & temperandam licentiam nimiam cudendi ſemper novas tranſlationes &c. Eatenus itaque voluit eam haberi authenticam ut certum omnibus eſſet, nullo eam foedatam errore, ex quo pernicioſum aliquod dogma in fide & moribus colligi poſſet, atque ideo adiecit, nequis illam *quovis prætextu reiicere auderet*. quæ ſequuntur vero digniſſima ſunt, ut probe teneantur. *Itaque nec tu nec quiſquam alius propter hanc adprobationem vulgatæ editionis impeditur, quominus ubi haeſitaverit, ad fontes recurrat, & in medium proferat quidquid habere potuerit, quo juventur, & locupletentur latini, & vulgatam editionem ab erroribus repurgent, & quæ ſenſui Spiritus Sancti & ipſis fontibus ſunt magis conſentanea, aſſequantur.* Scribens vero ad Lucam Brugenſem: *Scias velim Biblia vulgata non eſſe a nobis accuratiſſime caſtigata. Multa enim iuſtis de cauſis pertranſivimus, quae correctione indigere videbantur.* Cauſas hujuſmodi adſignat Xyſtus Senenſis *lib* 8. *Bibl. S.* Conſulto hæc omnia Bellarmini verba retulimus utpote viri magni nominis inter Catholicos, & auctoritatis, & qui in hac cauſa apud neminem in ſuſpicionem cadere poteſt. Cæterum hebrai-

hebraici codices sunt codices totius Ecclesiæ tam ante, quam post Christum; unde si divina providentia cautum fuit, ut numquam interierint, non desunt Ecclesiae ii libri divinitus conscripti cum iisdem omnino vocibus quibus primo comparuerunt, quos quidem cum sancto Hieronymo appellamus iure merito *hebraicam veritatem*, & cum Bellarmino, Natali Alexandro, aliisque quos supra memoravimus, *fontem primigenium*, *textum originarium*. Nomen itaque authentiae adhibitum a Synodo Tridentina omnino respondet sinceritati, quemadmodum sincera dici potest, & authentica cuiuscumque operis translatio in aliam linguam, si congruat cum originario textu, etiamsi nonnulla occurrant, quæ vel obscure, vel non satis apte & explicate auctoris mentem exprimant. Unde sapientissime constituerunt huius Concilii Patres, ut huiusmodi versio ab omnibus usurparetur. Hinc iniuste prorsus liquet conqueri Protestantes de decreto illo, ac sine causa iniurii sunt sanctae Catholicorum Ecclesiae. Proferant ipsi versionem latinam, quæ Vulgatæ anteponi mereatur, & magis textui consentiat. Illud recolant, nonnullos ex ipsis, uti Grotius, aliique, eamdem commendare; & quandoque Joannem Franc. Buddeum illius interpretationi acquiescere, eamque adprobare. Observat etiam Bezange *cap. de Script. version.* ad huiusce decreti iustificationem, si Ecclesia in Spiritu Sancto congregata legitime in rebus fidei & morum, iisque omnibus quæ ad salutem pertinent, errori subiecta non est, procul dubio nec falli poterat in determinanda versione, quam tuto sequamur; cum saluti humanae intersit quam maxime sincerum exhiberi, & genuinum Scripturae sensum, qui caeteros sub eadem lingua longe antecedat.

Verum ex iis quæ dicta sunt abunde constat neutiquam auscultandos scriptores illos ex catholicis, qui

Digitized by Google

eam traducunt a Spiritu Sancto ad nos descendisse & sanctum Hieronymum eodem afflatu Spiritu in vertendis Scripturis fuisse ac hebraeorum vetusti scriptores, uti incaute pronunciat Canus, & alii etiam, qui curam omnem impendunt, ut qui revera naevi in ipsa deprehenduntur, eosdem perfricte negent, & quamlibet Vulgatae sententiam, quæ ab hebraeo vel distat, vel non satis conformis est, eidem consonam velint, inter quos agmen ducit Frassenius merito a Natali obiurgatus. Hinc apposite inquit Dominicus Bannez 1. *p. q.* 1. *art.* 8. *dub.* 9. non posse nos plene satisfacere obiectionibus haereticorum, nulla plane admittendo errata, cum argumenta in contrarium id prorsus evincere videantur; nos vero negationi insistentes exponi periculo cuiusdam ignorantiæ, vel protervitae, cuius ipsi nos arguunt: quin illos, argumentum trahendo ad ea, quae magni sunt ponderis, dicturos, nos errata gravia similiter clausis tueri oculis. Sat igitur erit propugnare, errata illa quae in Vulgatam obrepserunt, neque fidem neque mores ullatenus attingere, quod necesse est ut fateantur Heterodoxi. *Esset*, ut inquit Bezange, *non timidi tantum, sed ignorantis Theologi, qui admissis naevis in Vulgata incertitudinem quandam & periculum sacris literis imminere inscite clamitaret*. Nec *est*, inquit Petrus Sabatier, *quod meticulosi quidam, atque in rebus criticis, versandisque antiquis exemplaribus hospites & peregrini vereantur, ne, dum variis textus primigenii, & discrepantes aliquando lectiones contendimus, Scripturae sacrae auctoritas laedatur, nostraque vacillet fides; inanis enim ille metus, vanusque scrupulus, quem Waltonus tam firmis, tam fidei catholicae consentaneis rationibus convellit, ut catholicae communionis hic audire mihi videatur*. Caeterum si Vulgata fuisset Spiritu Sancto afflante conscripta, quid dicendum de graecorum, syrorumque Ecclesia?

Digitized by Google

clesia? Nonne inferioris conditionis esset, quam latinorum? Nonnulla menda vulgatae editionis colligit Bellarminus *loc. cit.*, sed multo plura in Bibliis Plantinianis congeruntur, & a Natali Alexandro *dissert. cit.*, ac novissime a clariss. De Rossio *in Disquis. elencht. de caussis neglectae linguae hebraeae*.

Qui fuerit primus Vulgatae auctor non constat apud eruditos. Certum quippe est, in multis, uti observat Bellarminus, cum antiqua Itala, prout ostendunt vestigia quæ in scriptis veterum reperiuntur, consentit. In pluribus etiam exhibet Hieronymi textum, licet non semper sequatur illius emendationes. Liquet quoque esse efformatam super hebraico textu; quandoque tamen convenit cum versione Septuaginta interpretum. Observandum est etiam ante Pium IV. a plurimis insignium Academiarum doctissimis viris adlaboratum fuisse, ut vulgata versio expurgata a mendis compareret, sed & Pii IV. solicitudine rursus eadem provincia peritissimis viris demandata est; quod institutum prosecutus est Pius V. Sub Xysto V. visa est Vulgata tamquam accuratissime castigata, quare jussu eiusdem Pontificis typis demandata est. Verum cum perspectum esset iterata emendandi diligentia indigere adhuc Sacra Biblia latina, rursus idem Pontifex decrevit, ut totum opus sub incude revocaretur, quod sub eodem cœptum est, & sub eius successoribus prosecutum, ac denique sub Clemente VIII. perfectum est. Hinc Vulgata communiter dicitur Clementina. Ex huiusmodi historia satis abunde patet quod supra propugnavimus, nimirum editionem hanc palmam cæteris eripere, & dici nequaquam posse, afflante Spiritu Sancto fuisse confectam, nisi velimus Spiritum Sanctum adinstar hominis non satis in primis curis rem feliciter transegisse; quod blasphemum est dicere: sicuti etiam, si aduc naevis scatet, quod indubium est, rem ad po-

stremam

Digitized by Google

stremam perfectionem non adduxisse. Xystus Senensis *Bibl. S. cap.* 8. recenset causas cur Hieronymus plura loca non emendavit veteris interpretis, quas decernunt docti viri movere etiam potuisse Ecclesiam, ut castigationes non prosequatur super Vulgatam, uti notat Bellarminus, Natalis, aliique. In praesentiarum tamen, ni fallimur, conveniens videri posset ad calcem Bibliorum uberioris explicationis ergo, ac maioris perspicuitatis apponi emendationes illae, quae communiter a doctissimis viris recensentur, sicuti iam factum vidimus in Plantinianis.

CAPUT VII.

De utilitate, & usu Versionum.

VErsionum utilitas perspicue innotescit si ea recolantur, quae paulo ante tradidimus, ac speciatim super Vulgatam nostram, quae unanimi consensu adprobarunt ii omnes qui in sacris literis veri habentur eruditi, ac ipsemet Bellarminus. Si enim, ut inquit ille, illustrari adhuc pluribus in locis, emendari, ac perfici potest editio Vulgatæ; & hoc primo consequi potest ex apographi inspectione, tum etiam consulendo versiones, & illas potissimum, quæ vetustiores sunt, ac cæteras in quarum elucubratione adlaborasse constat viros tum in hebraico, tum

tum in cæteris orientalibus linguis peritissimos, nemo erit sanae mentis, cui non utilitas se prodat versionum; sed omnes omnino fateri cogimur plura commoda ex earum lectione percipi posse. Et certe si longe utilissimum fuit Scripturas sacras in alias linguas transferri, ut variarum nationum christiani homines in verbum Dei scriptum oculos coniiciant, non parvo emolumento esse poterit easdem consulere lectiones. Ætate Augustini huiusmodi solicitudo commendabatur, cum ipsemet *cap.* 14. *lib.* 2. *de Doctr. Christ.* doceat: *quæ ex alienis linguis veniunt aut quaerenda sunt ab earum linguarum hominibus; aut linguæ eædem, si & otium est & ingenium, ediscendae; aut plurium interpretum consulenda collatio est*. Et rursus: *plurimum iuvat interpretum numerositas collatis codicibus inspecta, atque discussa*. Si autem illius conditionis est nostra Vulgata, ut adhuc castigari queat, quemadmodum demonstratum est, in nostra quoque aetate ad fontes quandoque recurrere utile erit ac necessarium, sicuti & ad ipsas versiones. Vocum quæ in hebraeo textu, & in Vulgata obscuræ sunt, vel non satis cognitæ, quod in illis potissimum contingit quæ unica vice in sacris Bibliis usurpantur, ope aliarum versionum hauriri poterit significatio. Ex varia quoque linguarum indole sæpe fit ut quod per unicam vocem, seu phrasin exprimitur apposite in una lingua & vi quaquam peculiari; in altera vero nonnisi per circumlocutionem quamdam exhibeatur, & non satis apte ex praesidio versionum vis tota innotescere potest. Sensus etiam auctoris facilius se manifestat, quo genium & emphasis illius linguæ, in qua scribit, lectori perspecta sit; prodest autem ut percipiatur variarum lectionum comparatio, quæ habeantur in iis linguis quæ cum ea quam adhibet auctor affines sint. Insuper contra eos qui nonnisi textui hebraico acquiescunt, quales sunt judaei omnes, & ple-

rique

rique etiam ex heterodoxis, sensum sacri scriptoris confirmamus, quotiescumque eamdem, quam propugnamus, sensus intelligentiam praeseferunt versiones linguarum orientalium. Idipsum accidere potest circa ea quæ spectant ad fidem, & mores, ut nimirum si judæi aliique negent sensum Vulgatæ eum esse quem habuit sacer scriptor, refutari commode possint, si ostendatur celebriorum versionum sententias cum Vulgata convenire. Exemplo esse potest illud Vulgatae Genes. XLIX. 10. *donec veniat qui mittendus est*, ubi textus hebraicus habet *donec veniat Silo*, quæ vox dat locum ambiguitati. Hæc omnia recte complectitur Waltonus *in Proleg. ad Polyglott.* qui ait: *Licet versionibus fontium praerogativas non concedamus, multiplicem tamen versionum, praesertim antiquarum, & quæ Ecclesiae primi sæculi in usu erant, utilitatem, coecus est qui non videat. Versiones enim velum detrahunt, ut in Sanctum Sanctorum introspiciamus: corticem frangunt, ut nucleum latentem eruere possimus: lapidem de fontis ore tollunt, ut aquas quis haurire possit tum pro se ipso, quam pro gregibus suis. Versionum etiam inter se, tum cum textu primævo collatio, earum præsertim, quae apud priscam Ecclesiam obtinuerunt, & in linguas orientales traductæ erant, optima sunt media tum ratione cognationis cum linguis orientalibus, tum usus & auctoritatis per Ecclesiam, quibus verus in obscuris locis sensus elici, & lectio genuina in dubiis vel depravatis restitui possit. Praeterea textus & versiones mutuas sibi suppetias ferunt; nam ut versio textum explicat, sic textus versionem, cum menda occurrunt, corrigit: & ut textus versionibus auctoritatem confert, sic versiones antiquæ de textus integritate testantur. Cumque ex scribarum incuria aliisque causis fieri non possit, quin in minutis quibusdam codices frequenter descripti varient, unde melius stabiliri potest*

vera

vera lectio, quam ex antiquorum exemplarium & versionum collatione? Tandem consensus & harmonia tot versionum, diversis temporibus factarum, & apud gentes tantis terrae, marisque intervallis distantes, quasi vox Dei est de coelo testificantis, se horum librorum auctorem esse, qui contra omnes huius mundi potentias eos mirabiliter conservat. Praeclaram itaque operam navarunt viri doctissimi, qui in hoc laborarunt, ut sacra haec divinorum mysteriorum scrinia, Regis summi, de salute humani generis, ac hereditate aeterna diplomata, ex optimorum codicum collatione recognita, & a situ vel squalore, quem temporum iniuria, vel ex aliis causis contraxerunt, vindicata, pura & incorrupta posteris trasmitterent. Inter eas quae merito anteponi debeant versiones est Syriaca translatio, & Septuaginta viralis, atque Chaldaica paraphrasis Onchelosi. Inter latinas Vulgata, & versio Sanctis Pagnini. Regulae vero statuendae ut recurramus ad versiones commode erui possunt ex iis quae attulimus mutuata a Waltono.

CA-

CAPUT VIII.

De integritate Hebraici Textus.

QUae hucusque a nobis pertractata sunt, hebraicum Textum extollere, ac supra quamlibet versionem conlocare perspicue innotescit. Illud ipsum peculiari oratione probandum suscipimus. Hieronymus saepe eum vocat *hebraicam veritatem*, ac deinceps in sacris Scripturis eruditissimi viri *Autographum* appellant, vel *fontem hebraicum*, vel *Textum originarium*, inter quos recensetur etiam Bellarminus, Natalis, aliique permulti. In summo quoque pretio habita sunt hebraica Biblia ab ipsomet Concilio Tridentino: si enim aliter esset, numquam pronunciasset authenticam esse Vulgatam ' eo quod conformis inventa sit hebraicis codicibus; atque ex eiusdem verbis patet totam Vulgatae auctoritatem pendere ab hoc Textu. Plures doctissimi viri pro sacrorum codicum integritate strenue decertarunt, quibus novissime se adiecit clar. Bernardus De Rossius *in lib. de caussis neglectae L. H. cap.* 2. Consulendus itaque est, & ii omnes quos ipse commemorat, ut Simeon de Muis *in asssert. verit. hebr. contra Morin. ad calcem egregii Commentar. super Psalm.*, Dupin *Dissertation preliminaire sur la Bible*, Josephus Voisin *in observat. ad pugion. Fid. Martini*, Natalis Alexander *dissert.* 39. *ad saec.* 4., & Petrus Guarinius *praef. ad gramm. hebreo-chald.* Mitto heterodoxos, qui ferme omnes hanc sententiam tuentur, ac potissimum Leusdenius *in Philolog. hebr.*; Hottingerus *in Thesaur. philolog.*; Waltonus *proleg.* 7. *appar. Bibl.* Et certe si divina providentia factum est ut scriberentur sacri codices

a scri-

a scriptoribus, quorum calamus a Deo ipso regebatur, ne umquam eos labi contigisset, eiusdem providentiae erat, ut servarentur incorrupti sub ea ipsa lingua in qua primo ad utilitatem totius humani generis exarati sunt. Intererat etiam ne opus tam egregium ac singulare monumentum divinae erga nos beneficentiae interiret, ut semper Ecclesia potiretur hebraico Scripturarum sermone, qui ut contigit cuicumque linguarum generi, propriam styli elegantiam retinet, dictionum ac phrasium propriam vim ac significationem, quam nulla versio, quamvis diligentissima cura elaborata, perfecte exhibere potest. Ante Christum codicem hebraicum vitiatum fuisse nemo dixerit, cum Christus judaeos nunquam de hoc scelere obiurgaverit, sed generatim ad eius lectionem compulerit, uti legitur in Joanne V. 39. ea nimirum de causa qui illius persona apprime in iis libris indicitatur. Et revera ex historia accepimus summo studio ac indefessa cura ab hebraeis custodita fuisse sacra Biblia, ut nefas ducerent vel literam vel apicem immutare. Flavius Josephus *lib. 1. contra Appionem*. *Quanta*, inquit, *veneratione libros nostros prosequamur, res ipsa apparet; cum enim tot jam saecula effluxerint, nemo adhuc nec adiicere illis quidquam, nec demere, aut mutare aliquid ausus est, sed omnibus judaeis statim a nascendi exordio hoc insitum, atque innatum est*. Similia profert Philo *lib. 2. de vita Mosis, & lib. de legat. ad Caium*. Post Christum vero si in judaeorum animis fuisset, & communi consilio manum apponere depravationi sacri Textus, in illis potissimum locis compareret hoc facinus, in quibus luculentius Christus annunciatur, eiusque abiectio, ut Isaiae VII. & LIII. Genes. XLIX. 10. Daniel. IX. 24. *seq.*, & sic porro. Ast hoc dici nequit, unde consequitur multo minus eorum pravitatem exprobrari posse in iis textibus, qui non tam clare illorum pervicaciam refutant. Observat

etiam Leusdenius *dissert.* 33. *Philologi hebr.* si nefarium hoc opus adgressi fuissent, idipsum effecissent in paraphrasibus chaldaicis, quas ipsi tanti faciunt, & in quibus ambiguitas sensus tollitur omnino, & confunditur illorum perfidia. Exemplo sit inter alia permulta illud Genes. XLIX. 10. *non auferetur SCEPTRUM de Juda, donec veniat SILO*. Judæorum quamplures pro *sceptro* legunt *virgam*, sed paraphrasis chaldaica legit *Malachin scelitin*, idest *reges dominatores*. Vocem vero *Silo* vertit chaldæus paraphrastes *Mescicò*, idest *Messiam*. Si igitur soliciti nequaquam fuerunt in depravando Targum, a quo etiam iugulantur, id asseri nequit circa Textum originarium, quem religionis causa venerabantur.

Ab initio Ecclesiæ hebraei codices permulti erant, ac per totum orbem dispersi tum in manibus christianorum, tum judaeorum, qui jam per universas orbis plagas multiplicabantur, & deinceps in publicis bibliothecis asservati; quare non amplius, quin citissime fraus detegeretur, in potestate cuiuscumque male feriati judaei fuit eosdem immutare. Praeterea cura fuit judaeis omnes versus numerare, voces omnes irregulares adnotare, atque in unum volumen variantes omnes lectiones colligere, quas ipsi vocant *cheri chetiv*, idest *lectum, scriptum*. Tantum ergo abest ut eos tentaverint deturpare. Hinc S. Hieronymus *in cap. VI. Isaiae* inquit: *Quod si aliquis dixerit hebraeos libros a judaeis esse falsatos, audiat Origenem quid in octavo volumine explanationum Isaiæ huic respondeat quæstiunculae: quod nunquam Dominus, & Apostoli, qui cætera crimina arguunt in Scribis, & Pharisaeis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticuissent*. Subdit etiam: *Si qui dixerint post adventum Salvatoris, & praedicationem Apostolorum libros hebraicos fuisse falsatos, cachinnum tenere non potero*. Ex iis omnibus consequitur sane integrum haberi oportere

hebrai-

hebraicum textum, cum nemo possit illius corruptionis nec tempus nec auctores designare; atque eos qui de huiusmodi crimine accusari possent, nec voluisse unquam, nec potuisse. Quapropter Augustinus *lib.* 10. *de Civ. Dei cap.* 13. inquit: *absit igitur ut prudens quispiam vel judæos cuiuslibet perversitatis, atque malitiae tantum potuisse credat in codicibus tam multis, & tam longe lateque dispersis.*

Plura comminiscuntur adversarii, quorum agmen ducit Joannes Morinus, ad infirmandam hebraei textus integritatem, sed abunde ex argumentis quæ ad rem nostram protulimus, profligantur. Egregie etiam refelluntur a scriptoribus quos supra memoravimus, ac praecipue a Muisio, Hottingero *lib.* 1. *cap.* 2. *Thes. Philolog.* Natali, ac De Rossio. Quod spectat ad nonnullorum Patrum sententias, quibus videtur redargui judæorum malitia circa Textum, accipiendæ omnino sunt de prava intelligentia & expositione, vel de quadam versione; ut ea quæ pronunciat Justinus, qui conqueritur potius de Aquilæ versione, quam de textu hebraico. Circa nonnullas voces quæ videri possunt in textu immutatae, ipsi hebraei aliam lectionem apponunt in margine, qua emendantur & corriguntur; sed non desunt viri doctissimi, qui non immerito statuunt plerumque legi oportere prout fert textus ipse, ut probat De Rossius, ac signanter verba illa Psalmi XXI. (hebr. XXII.) 17. *FODERUNT manus meas, & pedes meos*, ubi textus effert *caarì* pro *carù*. Etenim sequens Altingium propugnat *caarì* esse plurale significans *effodientes*, cum alia pluralia occurrant in Scripturis desinentia in jod absque mem; literam vero aleph compensare defectum literæ vau, prout sæpe in Scripturis observatur in coniugatione verbi *quum*. Verbum vero *cur* significat *effodere*, ex quo fit nomen *cur*, id est *catinum*, nempe vas effossum.

Reli-

Reliqua argumenta in citatis scriptoribus perlegantur. Caeterum hic sermo non est de levioribus quibusdam erroribus, qui exscribentium incuria ac typographorum inscitia potuerint irrepere in sacros codices. Neque enim existimamus tales esse ut in nullo plane punctulo, apiculo, aut literula a primis Mosis, & Prophetarum autographis apographa unquam discesserint, aut nullum omnino vitium vel levissimum in eos irrepserit. Hæc tamen vitia nihil derogant puro sensui, qui ab ipsis scriptoribus intentus est, neque ullum complectuntur errorem qui ſidei adversetur ac bonis moribus. Hinc Sanctes Pagninus asserere non dubitavit *præf. ad gramm. hebr.*: *Hebraea volumina nec in una dictione corrupta reperies*. Quod pronunciavimus de hebraicis codicibus respectu judæorum, idem profecto ſerendum iudicium est de græcis. Hi quoque incorrupti ad nos pervenerunt, & quæ in ipsis haereticorum manu immutata sunt in nonnullis exemplaribus, a veteribus Patribus solicita cura restituta fuere. Hinc Bellarminus *lib.* 1. *de verbo Dei cap.* 5. inquit: *Etsi multa depravare conati sint haeretici, tamen nunquam defuerunt catholici, qui eorum corruptelas detexerint, & non permiserint sacros libros corrumpi. Plurima ex novo Testamento abstulit, mutavitque Marcion, ut testatur Tertullianus* lib. 5. contra Marcionem; *sed illa omnia fere notavit Epiphanius* haeresi 42., *& in nostris codicibus habetur recte. Ariani quoque abstulerant ex Evangelio Joannis IV* Spiritus est Deus, *sed indicavit & notavit B. Ambrosius* lib. 3. de Spiritu S. cap. 11., *& nostri codices graeci omnes hoc testimonium habent*.

CA-

CAPUT IX.

De Necessitate Studii Linguae Sanctae.

MOdo accedimus ad disserendum de studio Linguae sanctae, ubi plura afferentur exempla, ex quibus nedum huius linguae necessitas & utilitas, sed etiam quam praeferendus sit textus hebraeus prae qualibet versione. Observandum primo est in tractatione necessitatis hebraicae linguae Theologo viro hanc esse in earum genere disputationum non dirimendam numero auctorum, sed argumentorum pondere. Fatemur quidem viros doctos aeque & ingenuos nobiscum sentire, sed multo plures reperiri qui hoc studii genus vel omnino aspernantur, vel parum utilitatis ex eo percipi statuunt. Ast quam graviter hallucinentur invicte demonstrat memoratus De Rossius *in libro de Caussis neglectae linguae hebraeae*, ac novissime Sebastianus Scemmiller *in commentar. de Studio L. H.* Et revera si perfectum cumulatumque Theologum eum habeamus, cui praesto sint arma omnia ad quoscumque catholicae Religionis refellendos adversarios, profecto huiusmodi esse non poterit ille, qui, si congredi eum contingat cum judaeo, aut cum haeretico qui Theologum provocet ad textum hebraeum, hebraici sermonis sit imperitus. Si dicas tueri se posse cum Vulgata, eo quod nihil contineat quod fidei, & bonis moribus adversetur, procul dubio nequaquam te expedies, cum talis Theologus nunquam probabit ignorato textu hebraeo, convenire cum illo textum Vulgatae. Quid si textus Vulgatae, ut non infrequenter accidit, aliquam in sensu praeseferat incertitudinem & obscuritatem? Quid si alium licet optimum, exhi-

exhibeat sensum ab eo qui eruitur ab hebraeo? Fortassis mutuabitur ab aliis Theologis in re hebraica peritis responsionem? Prudenter quidem; sed tale effugium liquido ostendit eum nequaquam esse perfectum Theologum utpote qui destitutus hebraei sermonis notitia, aliorum indigeat praesidio, & auctoris mentem alienis oculis non propriis intueatur. Insuper, ut loquamur cum Seemiller, Theologi illi homines fuere. Errare igitur non minus, quam nos ipsi, potuerunt, & in multis quidem eorum unumquemque errasse, adductis exemplis probari posset. Examinandae itaque singulorum interpretationes sunt, priusquam assensum iisdem praebeamus. Neque enim decet virum Theologum, dum de summi momenti re agitur; dum ipsius nimirum Spiritus Sancti vera mens, & sensus inquiritur, aliorum qui errare potuerunt, coeca fide inhaerere sententiis.

Præterea plura sunt in hebraeo textu quæ ex indole atque energia hebraicae linguae luculentius Trinitatis mysterium, & incarnationis Verbi Dei commonstrant, quæque morum pravitatem condemnant & innocentiam adprobant. Hæc omnia prætereat oportet huiusce idiomatis ignarus Theologus. Ad hæc ex dictis, omnibus firma debet hærere sententia, translationem quamcumque utut suo in genere optimam, naevis tamen minime carere, ut etiam de Vulgata comprobatum est; non igitur satis doctus Theologus reputandus est, qui vel eos ignoret, vel non sit ad eos deprehendendos idoneus. Neque prætereundum est quod rem maxime conficit, videlicet usuvenire Theologo ut interpretes consulat super aliquo textu ad proprium & genuinum auctoris sensum eliciendum. Ast si reperiat interpretes inter se dissidentes, quique unius eiusdemque Scripturae loci diversissimas adferant expositiones, in tali opinionum conflictu, cui nam potius adhaerebit Theologus hebraicae linguæ ignarus?

rus?

rus? Calmetus interdum, & eo vel magis Cornelius a Lapide quatuor aut quinque & plures etiam sententias proferunt super sensum ejusdem textus. Quam seliget Theologus? haud aliunde certe habet tutum effugium in re hebraica peritus, quam ut fontes adeat, & accurate exquirat num ex vi & indole illius linguae, & ex verborum, quae adhibet auctor, positione ac natura, sternatur via ad acquiescendum uni vel alteri, vel ad aliam non sine fundamento excogitandam. Id confirmat Augustinus *lib. 2. cap. 3. Doctr. Christ.* hisce verbis: *Quae sit ipsa sententia, quam plures interpretes pro sua quisque facultate, atque iudicio conantur eloqui, non adparet, nisi in ea lingua inspiciatur, quam interpretantur.* Et Hieronymus *praef. in Esdr.* inquit: *Magis errabunt ignorantes, quis e multis verius dixerit.* Illud etiam probe tenendum est omnia quae in Scripturis continentur, ad nostram doctrinam, ut inquit Apostolus *ad Rom.* XV. 4. scripta esse; quare oportet, ut in intimos S. Scripturae adytus penetrare illi saltem conentur, quorum labia custodire debent scientiam, ut ait Malachias II. 7., & quorum ex ore requirenda est lex. Cum autem plura scitu dignissima colligantur ex textus originalis lectione, necessum erit etiam ut qui veri & universalis Theologi nomen sibi vindicare cupiat, ut perspectam habeat linguam in qua conscriptus est, cuius quidem genius a linguarum genio occidentalium toto propemodum coelo differt.

Haec licet verissima sint, attamen adversarii suam exemplis tueri conantur ignorantiam, ut caeterorum avertant animum ab hebraicis literis. Indubium est præstantissimos floruisse Theologos ante hanc nostram aetatem, qui plerumque eam linguam ignorarunt. Insuper si linguae hebraicae necessitatem adstruamus, non solum dictis Theologis iniurii profecto sumus, sed etiam san-

ctis

ctis Ecclesiae Patribus, inter quos præter Origenem, & Hieronymum, vix ullum reperias, qui hanc linguam calluerit. Priusquam obiectionem hanc, quæ quidem præcipua est, diluamus, in mentem reducimus adversariorum, inconcussum esse apud omnes inter locos, qui dicuntur Theologici, locum habere & quidem potissimum sacram Scripturam, cuius quidem sensum felicius attinget utique prae caeteris omnibus, qui verba textus primigenii probe intellexerit in ea lingua, in qua primo conscriptus est. Hoc inquam ita exploratum est ut nemo sit qui inficiari queat, & ex dictis superius sponte fluit. Hoc semel constituto responderi utique potest generatim, omnes illos caeteroquin doctissimos viros hebraicae linguae cognitione destitutos, posse quidem ex aliis locis theologicis argumenta depromere contra cuiuscumque generis adversarios ad confirmanda Theologiae dogmata, & ad enodandas difficultates; ex loco vero sanctarum Scripturarum non semper pari felicitate ex conflictu discessisse. Constat etiam, ex eo quod ignorarint textum primigenium sæpissime contigisse, ut multum nonnulli disseruerint aliorum locorum praesidio, interea dum ope textus primigenii facili negotio se expedivissent, & nullum adversariis reliquissent effugium. Quod dictum est de Fidei veritatum confirmatione per textum originarium, eo vel magis de interpretatione quamplurium Scripturarum textuum. Quibus itaque ignota fuit hebraica lingua, datumque non est consulere hebraicum codicem, salva, inquit Seemiller, quae sanctissimis aeque ac sapientissimis Patribus debetur, reverentia, adstrui posse videtur in exponenda funditus Scripturae litera non parum necessariae eruditionis iisdem defuisse. Hoc sane incunctanter adserit Natalis Argonensis, scriptor caeteroquin temperatus, & in sanctorum Patrum lectione, siquis alius, versatissimus. En

ipsa

Digitized by Google

ipsa eiusdem verba in aureo libro de optima legendorum Ecclesiæ Patrum methodo *part.* 3. *cap.* 5. *Quoniam vero, ut æquum de antiquitate ex eiusdem antiquitatis monumentis iudicium fiat, plus ei tribuendum non est, quam res, & veritas ipsa concedat; inficiari non possumus, in exponenda funditus Scripturæ litera nonnihil necessariae eruditionis antiquis Patribus desiderari*. Nominatim vero Hieronymus ab Oleastro in positione canonum ad sacras Literas præmissa *ad Comment. Pentat.* pronunciat: *hebraicæ linguæ ignorantiam in causa fuisse quod multi ex antiquis Patribus, alioqui doctissimis, & ingeniosissimis, genuinum sacræ Scripturae sensum assecuti non sint.* Fateri id equidem pro sua modestia minime erubuit magnus Ecclesiae Doctor Augustinus. Cum enim Genesim ad literam interpretari esset adgressus, observante laudato Natali Argonensi *propria* statim *imperitia* (qualem vero imperitiam nisi linguæ hebraicae, eruditissimo atque acutissimo Patri tribuemus?) *se contrahi sensit*; quod sane ex his eiusdem verbis evidenter colligitur; *in iis Scripturis* (loquitur de sua literali Geneseos interpretatione) *exponendis tyrocinium meum sub tanta sarcinæ mole succubuit, & nondum perfecto uno libro, ab eo, quod sustinere non poteram, labore conquievi*. Sic *Retractation. lib.* 1. *cap.* 18. Satius, subdit laudatus Seemiller, profecto agerent hebraicae linguae imperiti Theologi, si tanti Doctoris modestiam imitarentur, quam dum eiusdem inculpatam plane in hebraicis literis ignorantiam obtendunt, eademque propriam purgare nituntur. Neque hic cohibere nos possumus contra auctorem praefationis ad interpretationem viri alioquin doctissimi, quam supra caeteras omnes ignoranter extollit. Vestigiis Patrum dumtaxat insistit etiam in eruendo literali sensu. Hinc multa quidem praeclare dicuntur in ea expositione, sed multo plura non apposite ad textum, vel quae

M textui

textui adversantur, & plurima etiam quae textui illustrationi mirifice inservirent, desiderantur.

Repellitur quoque ab antiquis Ecclesiae Doctoribus iniuria omnis, quod in recentioribus Theologis fieri nequit, si illorum temporum ratio spectetur, librorum inopia ac magistrorum. Hieronymus vix magno pretio unicum obtinuit magistrum, a quo etiam, ut ipse fatetur, sæpissime deceptus est. Adversarii quoque christianae religionis tunc temporis vel sola ratione incedebant, vel si aliquando testimoniis Scripturarum uterentur, versionum, quae illis praesto essent vel latinae vel graecae, verba usurpabant. Hinc eadem omnino methodo refellebantur, iisdem armis. Cumque Platonis placitis sub initio, ac deinceps peripateticorum principiis christianae religioni insidiati sint ii omnes quibus Christi lex pro stultitia habebatur, factum est ut adsertores christianae fidei loco illi theologico qui a ratione ducitur, innitebantur, eumque potissimum adhibebant vel ut deliramenta philosophorum prosternerent, vel ad ostendendum christianum systema optimae philosophiae sanis principiis neutiquam adversari. Eodem loco perpetuo usus est sanctus Thomas, in qua quidem methodo procul dubio excelluit. Hinc ex hac parte merito Theologorum princeps existimatur, & ea praecipue de causa quia non solum inimicis sui temporis occurrit validissime, sed caeteris omnibus qui lapsu temporis venturi erant, qui adinstar illorum qui sanctum Doctorem praecesserant, vel cum eo congrederentur, ad rationem unice tamquam ad aram confugerent. Unde dicendum est si in quavis aetate reperiuntur scelesti homines qui contra religionem ratione abutantur, sanctum Thomam & fortiter cum iis omnibus dimicasse, & e pugna victorem discessisse. Verum statuendum est in nonnullis aliis locis, ut a loco ex historia, & ex Scripturis non

multum

multum immoratum fuisse, cum vix unum textum, & quandoque nullum ex Scripturis depromat in suis articulis. Unde ab eius doctrina rationes theologicae exquirendae sunt, & auscultandae. Argumenta vero ex loco Scripturarum petita alibi reperienda sunt. Cum autem Lutherus & Calvinus eorumque discipuli probe noscerent, se nihil lucrari posse solis depravatae rationis cavillationibus, Scripturarum testimoniis usi sunt, ac potissimum hebraico textu, & ex comparatione aliorum locorum, ex variis verborum significationibus, ex vi & energia peculiari hebraicae linguae, ex contextu, & ex orientalium eruditione sibi blandiebantur invictissima protulisse argumenta. Huiusmodi profecto impetus repelli non poterat a nostratibus nisi ex iisdem omnino fontibus haurirentur responsiones. Cumque certum sit in nostra quoque aetate utroque armorum genere uti hostes, ratione nimirum atque omnigena eruditionis, ac potissimum hebraicae supellectili; utroque pariter instructus esse debet modernus Theologus, nisi velit, ut Cani verbis utamur, interdum aerem verberare, & arundines tenere, arma videlicet levia puerorum. Commendandi itaque sunt veteres eo quod suarum elucubrationum finem assecuti sunt, sed ea, de quibus ipsi tacent vel ex eo quod nulla esset causa cur de ipsis disputarent, vel quia illis erant ignota, necesse omnino est ut Theologi nostri addiscere studeant ad quoslibet hostes profligandos.

Postremo observare iuverit hebraici idiomatis notitiam conferre plurimum ad plenam novi Testamenti intelligentiam, quod licet a nonnullis pernegatum videamus, concedunt tamen doctissimi viri. Auctoribus novi Testamenti vernacula erat hebraea lingua qualis vigebat ea aetate in Palæstina, non autem graeca, proindeque facile fuit ut hebraismum inducerent in græcum sermonem.

Julius

Julius Bartoloccius *part.* 4. *Bibl. Rabbin.* sermonem instituens de Evangelio Joannis nos monet *quod licet in Graecia graece illud scripserit, tamen quia ipse genere & gente, ac primaevae nativaeque linguae amore ac elegantia erat hebraeus; hinc magis hebraeis, quam graecis, phrasibus, & idiotismis prae aliis abundat, ut observat Cornelius a Lapide* Commentar. in eumd. *Unde bilingui, immo trilingui cognitione hic opus est, scilicet hebraica, graeca, & latina.* Hæc utique quadrant reliquis etiam Evangelistis. Paucis hanc veritatem exemplis ostendam, ut omnis submoveatur dubitatio, & iuvenes ad eamdem linguam addiscendam maiori ducantur alacritate. *Mia* apud græcos est numerus cardinalis, at in libris N. Test. quandoque est ordinalis: sic Marci XVI. 2. *& valde mane una sabbatorum*, hoc est *prima*, ut Genes. I. 5. *dies unus*, idest *primus*, & Genes. VIII. 5. *becchad lachodesc, in uno* idest *primo die mensis*. In hebraeo vox *ach* non solum *fratrem* significat, sed etiam *alterum*, ut Genes. XXVI. 31. Isaacus & Abimelech iuraverunt *isc leachiu*, idest *alter alteri*; unde Matthæus V. 22. *qui irascitur fratri suo*, idest *alteri*. Non solum autem nomina in libris N. Test. diversam excipiunt significationem occasione hebraicae linguae, sed etiam verba. In hebraeo verbum *sanà* significat quidem *odisse*, sed sub quocumque odii gradu, idest *minus curare*, *postponere*, ac *minus diligere*. Sic Genes. XXIX. 31. *vidit Deus quod odisset Liam*, scilicet quod dilexisset parum, uti eruitur ex versu praecedenti. Sic quoque se expressit Lucas XIV. 26. aiendo: *si quis venit ad me, & non odit patrem &c. Odit*, idest *minus diligit*, quemadmodum explicat Matthaeus X. 37. Hac etiam ratione *ambulare* Marci VII. 5. denotat *vivere*, & Iudæ Ep. vs. 16. illud græce *proficisci* significat *vivere*. Aliquando bina nomina abundantia alii nomini adduntur

tur, ut in illo Matthæi XXI. 5. *sedens super asinam, & pullum filium asinae subiugalis*. Per pullum intelligitur filius asinae. Sed hæ duae voces abundant more hebraeorum, qui eodem modo solent loqui, quemadmodum legitur in Zacharia IX. 9. Nomina graeca N. Test. plures recipiunt significationes, quam apud vulgares graecos. Vox *biblos* librum denotans, in N. Test. sumitur pro *catalogo*, ut Matthaei I. 1. *Liber generationis &c.* hoc est catalogus; cum totus liber non agat de prosapia Christi. Sic Genes. V. 1. *hic liber generationum Adam*, idest *catalogus*. Phrasis illa Matthaei XXV. 34. *Venite benedicti Patris mei*, idest *a Patre meo*, est hebraicae locutionis, uti patet ex Ps. XXI. (hebr. XXII.) 7. *& spretus populi*, idest *a populo*, & Isaiae LIII. 4. *percussus Dei*, idest a *Deo*. In hebraeo verba illa *coram Deo* innuunt revera talem esse quempiam, qualis dicitur; ut Genes. VII. 1., 1. Reg. II. 17. & alibi. Hoc autem legitur Lucae I. 6., & Actor. VIII. 21. ubi ait Petrus Simoni mago: *cor tuum non est rectum coram Deo*, idest non integrum, sed simulatum. Interdum Evangelistæ utuntur gradu positivo ad designandum superlativum, sicuti Matthæi XXII. 36. ubi de mandato *magno*, idest *maximo*; & hoc ex consuetudine hebræorum qui passim ita se explicant, ut 2. Paralip. XXI. 17. *parvus filiorum*, idest *minimus*. Voce etiam *filii* utuntur Evangelistae sub illis omnibus significationibus, quæ occurrunt in veteri Testamento, ut *filius iniquitatis*, idest *nequissimus*; *filius mortis*, idest *reus mortis*; *filius percussionis*, idest *percussione dignus*. Incolae etiam alicuius loci vocantur illius filii. Sic etiam Matthæi XXIII. 37. Sic quoque *filii lucis*, *filii saeculi*, idest amantes lucem, saeculi pravitatem sectantes. Etiam in N. Test. adhibetur nomen Dei ad denotandum gradum superlativum, ut Actor. VII. 20. *& Moses erat venustus Deo*, hoc est *venustissimus*

ſimus; ſicuti Jonae III. 3. dicitur Ninive *urbs magna Deo*, hoc eſt maximae amplitudinis; & Isaiæ XXVIII. 2. *ecce robuſta & valida Domino*, ideſt *validiſſima*. Ita etiam explicatur illud Genes. I. 2. *& ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, ideſt *ventus validiſſimus* premebat aquas, & ſic fluctuabant. Etenim *ruach eloim* optime vertitur *ventus Domini*, ſeu ventus vehemens, ſicuti Pſ. LXXIX. (hebr. LXXX.) 11. *cedri Dei*, ideſt *cedri altiſſimi*. Hæc ſatis erunt ut oſtendatur perſpicue magis illi ſe prodere ſenſum locorum N. Teſtam., qui in hebraica lingua ad eum conſulendum verſatus accedat. Quamplures colligit hebraiſmos N. Teſt. Joannes Leusden *in Philolog. hebraeo-graeco diſſert.* 10. *& ſeq.* Hinc negligenda non erit regula illa, quam modo conſtituimus, nimirum ubi propoſitio aliqua Evangeliſtarum & reliquorum N. Teſt. ſcriptorum durior apparet, vel ambigua vel obſcura, vel non ſatis veritati conſona, præter alia, inveſtigandum eſſe etiam, quem ſenſum excipere poſſit reſpectu hebraicae linguæ. Apud hebraeos pauca ſunt verba, & unicum verbum plura ſignificat, unde contingere poteſt, ut græcum verbum ab Evangeliſtis uſurpatum non habeat propriam ſignificationem, ſed eam quam exprimit hebraeum verbum, interea dum in graeco ob verborum abundantiam, aliud ipſi proprium adhiberi poterat.

Caeterum quam hactenus probavimus neceſſitatem utilitatemque viro theologo, & interpreti Scripturarum, illiſque omnibus qui interpretes conſulant, hebraicae linguae, eamdem decernimus, ſtudio convenire graecarum literarum, cum novi Teſtamenti ſcriptores ea lingua uſi ſint. Licet hebraiſmos ſaepe uſurparint, elocutionem quoque graecam ſecuti ſunt, ſicuti & graecas literas. Paſſim occurrunt etiam variæ graecorum dialecti, uti abunde notat Leusdenius *loc. cit.* Utilitatem vero huiuſmodi e-

di eruditionis probant opera omnia Ecclesiae utilissima graecorum Patrum. Textum graecum incorruptum quoque apud nos pervenisse fatetur etiam Bellarminus *lib.* 2. *de Verbo Dei cap.* 7. In laudem linguarum orientalium disserit elegantissime Waltonus etiam *proleg.* 1. *appar. Bibl.* Reliquum est ut animadvertamus Ecclesiam agnovisse necessitatem studii linguarum orientalium apud suos, ut patet ex variis illius decretis circa publicas Academias promulgatis, & ex illo Pauli V. *tom.* 3. *Bullar.*, qui *omnibus & singulis Regularium superioribus sub indignationis suae pœna praecepit, & mandavit, ut scholae linguarum hebraicae, & graecae quamprimum instituantur, ac doctores deputentur, earumdemque linguarum lectionibus scholares adsignentur, qui illis sedulam & assiduam operam navent*. Plura adhuc superessent in hac disputatione, quibus ulterius confirmari posset, neutiquam auscultandos qui studium linguarum orientalium contemnunt, & inscite prorsus, qui caeterorum animos ab eodem avocare student. Sed haec sufficiunt pro instituti nostri ratione. Modo disseremus breviter de Polyglottis ad juvenum institutionem.

CA-

CAPUT X.

De Bibliis Polyglottis.

Uberrimam de Polyglottis tractationem concinnavit Jacobus Le Long in sua Bibliotheca sacra, & in peculiari sermone historico editionum polyglottarum. Hunc sequutus est Christophorus Wolfius *part.* 2. *sect.* 4. *Bibl. hebr.* Nos quae celeberrima sunt ac maioris utilitatis dumtaxat notabimus. Biblia Polyglotta dicuntur quae una cum textu originali duas exhibent vel plures in diversis linguis versiones. Existimant nonnulli primum horum Bibliorum auctorem aliqua ratione dici posse Origenem. Ipse enim quatuor graecas versiones Septuaginta interpretum, Aquilae, Symmachi, & Theodotionis in unum collegit, quas vocavit *Tetrapla*. His adiecit duplicem hebraicum textum, unum hebraeis, alterum graecis caracteribus exaratum, & vocavit totum opus *Exapla*. Demum addidit etiam Jerichuntinam versionem, & Nicopolitanam in totidem peculiaribus columnis, sicuti effecerat in prioribus collectionibus, & sic opus istud appellatum ab eo est *Octapla*. Iniuria temporis vix supererant huiusmodi Origeniani labores, sed rursus Bernardi Montfauconii opera rursus eosdem, si non integros aut genuinos omnes, ut nonnulli censores putant, non paucos tamen obtinuit literarum respublica, dicti Montfauconii animadversionibus illustratos. Verum cum reapse huiusmodi collectio nonnisi varietatem exprimat unius versionis in graeca lingua, nomine Bibliae Polyglottae insigniri nequit. Qui revera hanc sibi laudem prome-

promereatur est certe Augustinus Justinianus natione Genuensis ex Dominicana familia, ac deinde Nebiensis Episcopus, qui auctor fuit Psalterii octapli editi anno 1516. sed multo opus istud tentatum fuit & exaratum. De eo loquuntur Annales Genuenses, & Petrus Baelius *in diction. hist. critic. tom.* 2. Xystus Senensis eiusdem ordinis certiores nos facit *lib.* 4. *Bibl. S.* vidisse se tum Psalterium octaplum, tum quatuor Evangelia in hebræo, græco, latino, & arabico ipsa Augustini manu exarata. Sed descendamus ad integra Biblia Polyglotta.

Primum locum obtinent Polyglotta Complutensia ita appellata ab urbe Compluti Lusitaniæ, ubi natales habuerunt. Totum opus absolutum fuit anno 1517. Unaquæque pagina per varias columnas disposita, continet, quoad Pentateuchum, hebræum textum, versionem Septuaginta cum versione latina interlineari, paraphrasim chaldaicam Onchelosi cum versione latina Alphonsi de Zamora, ac Vulgatam latinam. Libri Agiographorum, & Prophetici hebraice tantum, & graece cum duabus versionibus latinis; Deuterocanonici vero tantum græce ibi exhibentur cum duplici versione, una B. Hieronymi, altera interlineari. Huiusmodi collectio, quæ nonnisi quinquaginta millia aureorum pretio absoluta fuit, coepta est, ac perfecta sub patrocinio, ac sumptibus Francisci Ximenii de Cisneros ordinis Minorum, Cardinalis, & Archiepiscopi Toletani. Clariss. Le Long in commentatione gallica de Bibliis polyglottis *cap.* 1. vitam ac merita describit eorum omnium, qui aliquam muneris partem in hoc opere concinnando obtinuerunt. Biblia huiusmodi commendanda omnino esse nemo dubitabit. Verum nonnulla ibi reperiri quæ viris doctis displiceant, & quædam ab iisdem desiderari, facile erit ut quis sibi suadeat. Hos inter est Hottingerus *in Bibliothecar. quadripart.*, Flaminius Nobilius *in pref. ad suam ver-*

 sion.

sion. latin., & Richardus Simon *in catalog. praecipuar. edition. Biblicar. ad calcem histor. critic. V. T.* Sed quid de illorum censuris sentire debeamus, abunde nos instruit diligentissimus Jacobus Le Long *loc. cit.* Interim libeat audire quæ in huius praestantissimi operis commendationem protulit Hermannus Hardtius *in memoria saeculari Ximenii. Tametsi hodie nitidius omnia prodierint, & ampliora similia sacra volumina, prima tamen illa Ximenii religiosa cura, primus ille vel simplicior ornatus praecipuam meretur admirationem. Juste annus* 1517. *quo hoc opus confectum, & vita Ximenii consummata, hispanis orbique christiano sacer, cuius jubilaeum nos hoc anno* 1717., *& secuturis sæculis grati & devoti posteri, nec soli Complutenses academici, hispani eruditi, sed & omnes boni, veritatis cupidi celebrent laeti.* Præter Le Long legi potest circa egregium huiusce operis institutorem Ximenium *Bibliotheca hispanica* Nicolai Antonii, & Marsolerius *in Histor. ministerii Card. Ximenii*.

Polyglotta Complutensia excipiunt Biblia Regia ita appellata a rege Hispaniarum Philippo II., cuius sumptibus & auspiciis impressa fuere; unde in fronte legitur *Biblia Sacra &c. Philippi Secundi Regis Catholici pietate ac studio ad sacrosanctum Ecclesiae usum &c.* Et revera illius generis haec opera habentur, quibus nomen apponere deceat & impetrare auspicia Catholici Principis. Dicuntur etiam Biblia Antuerpiensia ab urbe natali apud celebrem typographum Christophorum Plantinum. Excudi coeperunt anno 1569., & perfecta omnino sunt anno 1572. Hæc Biblia quinque linguis hebraica, chaldaica, graeca, syriaca, & latina exarata octo volumina comprehendunt. Versio quam habet interlinearem est Sanctis Pagnini ab AriaMontano & aliis ad versum expensa. Chaldaica lingua est Targum Onchelosi in Pentateu-

tateuchum, Jonathanis in Prophetas priores & posteriores, & rabbi Joseph Caeci & aliorum in Job Psalmos & quinque Meghilloth, addita versione latina Pentateuchi, Prophetarum Isaiae Hieremiae & Ezechielis ab Alphonso de Zamora, aliorumque librorum ab Aria Montano concinnata. Versio latina graecae linguae desumpta ex editione Complutensi. Praecipua in hoc opere elaborando debetur laus Benedicto Ariae Montano Hispalensi, cui multi suppetias tulerunt, Nicolaus & Guido Fabricius Boderianus, Harlemius Societatis Jesu, Lucas Brugensis, Andreas Masius, & alii. Totum opus octo voluminibus absolvitur. In volumine sexto. & septimo habetur apparatus biblicus maximæ utilitatis, cum inter alia, undecim mille in eo explicentur Scripturae loca, ita ut, quemadmodum docet ipsemet Arias, spectare possis hanc partem veluti perpetuum sacrorum librorum commentarium. Caetera quae in eo continentur, describit Imbonatus in sua *Bibliotb. latin. hebraic. pag.* 12. Volumen octavum continet vetus Testamentum hebraice, & latine, & novum graece & latine, quod per plures vices seorsim editum fuit. Ex his patet merito praeferenrendam esse Complutensi editionem hanc, tum ex eximio illo apparatu, ob varia additamenta, tum etiam ob chartae typorumque nitorem. Hinc Richardus Simon *in disquis. criticis* immensum ac vere regium opus nuncupat. Ipsemet tamen Simon *in calce bist. critic. V. T.* animadvertit circa versionem Septuaginta, & Vulgatae eadem occurrere menda, quae in Complutensi notaverat. Bonfrerius etiam *cap.* 18. *praeloq. sect.* 1. carpit Ariam Montanum eo quod verbis obscuris atque inusitatis corruperit Pagnini versionem. Ipse tamen Arias de hac aliisque criminationibus egregie se defendit variis in locis, ac potissimum in tractatu de varia hebraicorum librorum scriptione. Legatur etiam præfatio ad Bibliam he-

hebraeo-latinam. Jacobus Le Long Montani vicissitudines fuse describit. Plura etiam vide apud Nic. Antonium *Bibl. hispan.*, & Dupin *in Biblioth. nova sec. XVI.*

Consilio Cardinalis de Berull Parisiis inchoata sunt in officina Antonii Vitrè anno 1628. & completa fuere anno 1645. Biblia Polyglotta dicta Parisiensia ab eadem urbe, sicuti etiam Lutetiana, vel Heptaglotta vel Heptapla Regia. Communiter creditur efformata fuisse solis expensis privati hominis, nempe Guidonis Michaelis le Jay, cui tribuitur etiam operis totius praefatio. Attamen huic labori potissimum insudavit Joannes Tarinus, de quo vide apud citatum Le Long. Haec Biblia praeter textum cum versione latina complectuntur etiam Pentateuchum Samaritanum, eumque duplicem, unum in lingua & charactere samaritano, alterum literis tantum samaritanis sub lingua hebraea. Prioris versionem exegit Joannes Morinus. Versio textus Chaldaici tota desumpta est ex Antuerpiensi, sicuti graeca ex Complutensi juxta correctionem Ariae Montani. Gabriel Sionita elaboravit super textum Syriacum, eiusque versionem. Textus vero Syriacus N. Test. desumitur ex Antuerpiensi adiectis quatuor Epistolis catholicis ex editione & versione Pocockii, & Apocalypsi ex editione & versione Ludovici de Dieu. Demum arabica lectio conformis est cuidam exemplari arabico exarato in Ægypto tercentum & supra abhinc annis. Citati Sionitae est versio latina. Multum industriae ac laboris locarunt etiam alii viri doctissimi, uti patet ex Jacobo Le Long, & ex Morino etiam *in antiquit. Eccles. Orientalis*, inter quos est Abraham Echellensis, Joannes Hefronita, Godofr. Herman. Commendatam hanc editionem multum existimandam esse ob chartae nitorem, typorumque artificio, judicant omnes. De operis vero ac interpretationum merito & conditione legatur Valerianus Flavigny in quatuor epistolis de

hoc

hoc ingenti Bibliorum opere, sed potissimum Le Long. Cum Wolfius nos moneat quod Waltono displicuit in hisce Bibliis, pluribus etiam displicuisse, nos quoque eius verba proferemus deprompta ex prolegomeno 4. *Dolendum est*, inquit, *apparatum cum prolegomenis, & appendicibus, variarum lectionum tabulis, indicibus, aliisque quae ad operis complementum pertinebant, ex dissidio eorum, qui operi præfuerunt, desiderari: nec editiones, quas protulit haec ætas limatiores, quam quae in Complutensi, vel regio opere habentur, eos secutos fuisse, ut nil dicam de intoleranda ipsorum incuria, qui correctioni invigilare debuerunt. Unde innumeris mendis & erratis scatet haec editio, quæ splendorem eius obscurarunt*. Plura congerit etiam in hanc editionem Richardus Simon *ad calcem hist. crit. Vet. Test. de praecipuis Biblior. edition.* & *in Biblioth. crit. tom.* 3. & 4. Consulenda itidem est integra Jacobi Le Long huiusce Polyglottae historia *loc. cit.*.

Praetereunda non sunt Polygotta illa quae edidit summo studio Brianus Waltonus, quaeque impressit Thomas Roycrot Londini, unde appellata sunt Londinensia, seu Anglicana. Huiusce operis occasionem, uti narrat saepe laudatus Le Long, editorum Parisini Heptaglotton praebuit quaedam avaritiae species. Conquisiti siquidem a Londinensibus ut dimidio, quod constituerant indebitum pretium, illis concederent nonnulla exemplaria; cum id negarent Galli, excogitatum est apud Anglos de nova, & quidem diligentiori cura adornanda Polyglotta. Quod quidem factum est brevi spatio quatuor annorum, ab anno nimirum 1653. usque ad annum 1657., ita ut ea quae supererant Parisiensia exemplaria vix vendi poterant; & eo res devenit, ut nonnulli qui editioni suis sumptibus adiumento erant, ære alieno valde gravati fuerint. Waltoni incredibilem curam alleviarunt quidam in sacris literis eruditissi-

Digitized by Google

ruditiſſimi viri, uti Edmundus Caſtellus, Alexander Huiſſus, Samuel Clericus, Thomas Hyde, Dudlejus Loftuſius, Joannes Lightfoot, Herbertus Thorndicius, Eduardus Pocockius, & Thomas Gravius, quorum operam commendat ipſemet Waltonus ſub fine praefationis. Novem linguis loquuntur haec Biblia, non in omnibus tamen Scripturarum libris. Pentateuchus octo, Pſalterium ſeptem, libri hiſtorici Ioſue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, & Evangelia ſex linguis, reliqui libri novi Teſtamenti quinque. Libri Eſther, Tobiae, Sapientiae, Eccleſiaſtici, Baruch, & fragmenta Danielis quatuor. Libri Judith, uterque Machabaeorum tribus, & fragmenta Eſtheris duabus tantum linguis exprimuntur. Haec omnia ita peculiari ordine diſponuntur, ut textus cum verſionibus uno intuitu conferri poſſit. Sex voluminibus concluduntur haec Biblia, licet Bartoloccius enumeret octo, quia fortaſſis eidem operi accenſuit duo volumina quae continent Lexicon Edmundi Caſtelli, quod eiſdem adiungi ſolet. Verſio Samaritana eadem eſt quae in Pariſinis, ſed loca notantur, ubi differt a textu, quod ex Moriniana tranſlatione non admodum patet. Chaldaicus & Graecus textus eſt ex editione Roberti Stephani. Graeca Septuaginta interpretum ſequitur exemplar Vaticanum, notatis undique varietatibus, quae inter illud intercedit & Alexandrinum, adiuncta quoque vetere Vulgata latina ex graeca Septuaginta expreſſa, & per Flaminium Nobilium collecta. Quæ leguntur chaldaice deſumuntur ex Bibliis Baſileenſibus Buxtorfii, & in tomo quarto extat triplex Targum Pentateuchi Ieroſolymitanum, & Ionathanis utrumque cum verſione latina Cevalerii, ſed a mendis diligenter expurgatum. Quae leguntur perſice ſunt Iacobi Tuſenſis, ſeu Tawoſi juxta editionem Conſtantinopolitanam cum verſione Thomae Hyde. Syriaca verſio depromitur ex Pariſinis ſed paſſim verae lectioni collatis Mſs. reſtituta, & ſub

ea

ea comparent ii libri qui desunt in Parisinis, uti liber Esther, Judith, Tobias, epistola Jeremiae, Baruchus, Susannae historia duplex, pars cantici trium puerorum, & secundus & tertius Machabaeorum. Arabica versio pariter eadem est cum Parisinis, sed multis in locis suppleta. In iis quoque reperitur versio Æthiopica, cuius versio latina partim est Edmundi Castelli, & partim Samuelis Clerici. Denique Vulgata versio latina sequitur editiones Xysti V., & Clementis VIII. Ex dictis constat quod narrat Waltonus, omnia emendata fuisse ex vetustissimis manuscriptis undique conquisitis, optimisque exemplaribus impressis, summa fide collatis, ac suppleta multa quæ in prioribus editionibus deerant, ac denique multa antehac inedita, de novo adiecta. In ea quoque editione non desunt utilissimi tractatus, ac Waltoni Prolegomena, quae uberrimum ad Scripturarum intelligentiam apparatum conficiunt. Adduntur quoque appendices, tabulae, variae lectiones, adnotationes, & indices. Ex hisce omnibus manifestum est hanc Bibliorum Polyglottorum editionem caeteris omnibus palmam eripere, unde Richardus Simon quidquid *in hist. crit. N. T. part.* 2. adfirmaverit, recte tamen judicavit *in hist. crit. V. T. lib.* 3., ubi affirmat, nihil quod ad Scripturam attinet, Polyglottis Anglicanis magis esse absolutum. Licet autem haec Biblia caeteris anteponenda sint, ac prae reliquis maximo esse emolumento lectori, fateri cogimur a mendis non paucis non esse immunia, quod confirmat idem Simonius, & Joannes Saubert *in prolegom. ad varias lection. in Matth.* Auscultandus vero est circa huiusmodi praestantissimam editionem praefatus Jacobus Le Long *in dissert. historica &c. cap.* 16.

Expositis celebrioribus Polyglottis nonnulla hic addere juverit de Bibliis Francisci Vatabli, & Eliae Hutteri. Anno 1616. comparuerunt Biblia Polyglotta hebraice, grece,

ce, & latine Franc. Vatabli Ambianenſis, & in Academia Pariſienſi linguae ſanctae profeſſoris. Duplicem habent verſionem latinam, alteram veterem, alteram Pagnini. In confeſſo apud omnes eſt adnotationes quae in iis reperiuntur, quaeque Vatabli nomine circumferuntur, eſſe hominis Calviniani, qui ut eidem auctoritatem conciliaret, Vatablo eas tribuit. Refert Imbonatus *in ſua Biblioth.* conqueſtum fuiſſe Vatablum cum Roberto Stephano, qui turpiter ad Calvini partes ſe conferre deſtinaverat, de iis quae ad illius commendationem circa huiuſmodi notas, evulgavit. Multa adſcribit Le Long Cornelio Bonaventurae Bertramo, & Arnoldus Bootius *in indice Auctorum animadverſionibus ſacris praemiſſo*, fraudis auctorem facit ipſum Robertum Stephanum, licet alii cuidam Vatabli dicipulo haec omnia imperriant; & Theodorus Beza *in Iconibus* Leoni Judae Helvetio. Certe in hac editione paſſim occurrunt Calvini errores. Generatim tamen & ſecluſis maculis, quibus valde inquinatur, textum feliciter exhibere communis eſt eruditorum opinio, & fatetur Cornelius etiam a Lapide *in epp. S. Pauli*; ubi ait: *Vatablus Catholicus fuit, ſed eius ſcripta ab haereticis excuſa & depravata ſunt. Alioquin vir ipſe fuit egregie doctus tam in hebraeis, quam in graecis. Acute literam breviterque proſequitur, ſed ſaepe a noſtro interprete diverſus eſt*; & Auguſtinus Villa vincentius *lib.* 2. *de ratione ſtudii theologici: affirmant*, inquit, *quamplurimi viri conſtanti ſententia, neminem maiori vel eruditione, vel fide, magiſque perſpicua expoſitione ſacros libros V. T. interpretatum eſſe, quam Vatablus*. Eamdem perſpicuitatem brevitatemque valde commendat etiam Richardus Simon *in hiſt. crit. V. T. lib.* 3.

Opera etiam & ſtudio Eliae Hutteri concinnata ſunt Biblia hebraice, chaldaice, graece, & germanice & ſclavonice

nice Norimbergae anno 1599.. Distribuuntur hi textus per sex columnas. In aliis editionibus pro sclavonica, nunc gallica nunc saxonica apponitur. Cum haec Biblia non satis apta sint eruditorum studiis teste Hottingero *in Biblioth. quadripart.*, nec plebeiorum sumptibus vel usibus, lectorem remittimus ad clariss. Le Long. Eadem quoque ratio est ut de caeteris taceamus. Non abs re erit hic observare quam maximo pretio habita sit translatio latina Sanctis Pagnini, cum ferme in omnibus Polyglottis visum fuerit viris illis eruditissimis locum in eisdem promereri, & Arias Montanus valde ea usus sit. Licebit itaque nonnulla de hoc doctissimo viro commemorare. Sanctes Pagninus patria Lucensis Praedicatorum ordini nomen dedit in celebri Conventu sancti Dominici Fesularum in Etruria. Excelluit summopere in sacrarum literarum studiis, ob eamque causam apprime versatus erat tum in hebraica, tum in graeca lingua. Primus omnium post S. Hieronymum vetus Testamentum ex hebraeo in latinum Leonis X. hortatu, & operi sumptus necessarios praebente, vertit. Collatis igitur inter se multis iisdemque probatissimis hebraeorum exemplaribus, quanta maxime valuit diligentia ac fide omne vetus Testamentum ex hebraica veritate latinitate donavit, & hebraicorum nominum multitudinem, quam priores interpretes in latinas voces inflexerant, hebraicae linguae prolationi restituit; utque lector rectam haberet pronunciandi rationem accentus hebraeis dictionibus superposuit, additis quibusdam in margine totius voluminis numeris, qui indicarent quot in singulis hebraicae Scripturae capitula, versiculi, quos *pesucbim* appellant judaei, continerentur. Quae omnia tam solerti cura exequutus est, ut eius editionem peritissimi hebraeorum rabbini multis laudibus extollant. Verum non hebraei solum, sed in re hebraica peritissimi inter christianos illius tam ar-

duum opus vehementer com nendant. Plura tamen, quæ colligit Imbonatus, expungenda voluerunt hispani Theologi; jure tamen pauciora demenda erant. Plura aliaquæ maximo sunt emolumento ad SS. Scripturarum intelligentiam, accurate enumerat praefatus Imbonatus *in sua Bibliotheca*. De Pagnino eiusque operibus videsis Xystum Senensem, Gesnerum Possevinum, & Ceillier *in Bibliotb. Scriptor. Ecclesiasticor.* Obiit Lugduni anno 1541.

CAPUT XI.

De Talmude, & Commentariis Rabbinorum.

DE Talmudis notissimo opere breviter disputaturi omissis omnibus circa huius vocis etymologiam magistrorum inter hebraeos opinionibus, sequimur & nos Joannem Seldenum *Proleg. ad lib. de successione in bona defunctor.* statuendo hoc nomen derivare a verbo *lamad*, idest *didicit*, ita ut Talmud idem sit ac *limmud*, idest *doctrina*, seu *doctrinale*, ita a judaeis appellatum, quia in ipso doctrinam omnem & scientiam, seu omne ius divinum, & humanum censent comprehendi. Aliis etiam nominibus insignitur, uti *lex oralis* per oppositionem ad legem Mosis, quam vocant legem scriptam. Vocatur etiam nunc *repetita lex*, nunc *liber traditionum*, ac denique

Digitized by Google

nique liber *sex ordinum*, seu tractatuum. Licet autem, uti diximus, totum Talmudem appellent *sciana*, idest secundam & *repetitam legem* a verbo *sciana*, *iteravit;* quandoque tamen partem primam huius collectionis peculiariter vocant *Misna*, secundam vero *Ghemaram*. Primam partem volunt esse totius operis fundamentum, atque in ea dictitant contineri legem omnem oralem seu traditionem, quam etiam speciali nomine appellant *cabbalà*, idest *receptionem* seu traditionem. Cum enim certum sit ex Scripturarum testimonio per Mosem primo, ac deinde per seniores excepisse judaeos legis scriptae explicationem tum circa ea quæ pertinerent ad civilis reipublicae incrementum, & conservationem, tum etiam ad plenam religionis observantiam, quæ quidem explanatio legis nullatenus scripto illis temporibus mandata fuit, dispersis deinde per totum orbem judaeis traditiones huiusmodi volunt nunc complecti Talmudem.

Cabalam illam seu traditionem quæ respiceret etiam religionis negotia, ac potissimum adventum Messiæ eiusque circumstantias, quæ omnia saepe sub aliquo velamine describuntur in sacris literis extitisse apud judaeos communis est eruditorum sententia, & nos ultro non diffitemur Id confirmari potest ex pluribus novi Foederis testimoniis, & ex eo praesertim ubi legitur, sciscitanti Herodi quo loco Christus nasceretur, respondisse judaeorum sapientes in Bethlehem Judae nasciturum, & hoc quidem propter acceptam ab antiquis interpretationem illius textus, in quo legitur civitatem Bethlehem non fore minimam, idest futuram illustrem ea de causa in tota terræ portione quae obtigit tribui Judae. Videtur etiam Christum ipsum eamdem confirmare traditionis veritatem, dum praecipit audiendos quidem esse Pharisaeos & Scribas super Mosis cathedram sedentes, & exequenda quae illi docerent deprompta ex spiritu Mosaicae legis. Verum hisce

hisce traditionibus, quae aliqua ratione possunt divinae appellari, humanas etiam ac prorsus commentitias adiecisse judaeos patet perspicue ex repetitis ea de causa eiusdem Christi Domini obiurgationibus. De legitimis judæorum traditionibus fuse tractant Bartoloccius, & Wolfius. Utrum vero huiusmodi traditiones complectatur Talmud inferius disseretur. Modo illius historiam prosequamur.

Alteram Talmudis partem appellant *Ghemarà*. Dissident eruditi utrum sub illa voce intelligatur *perfectio*, seu *complementum*, vel potius *disciplina*, seu *doctrina*. Quaestionem dirimit Joannes Buxtorfius pronepos in *Catalectis*, ubi ait utramque notionem commode posse coniungi, *doctrinae* quidem si absolute spectetur; *supplementi* vero si referatur ad Misnam seu primam partem. Magno in pretio habetur Ghemarà apud judæos, & ii vehementer commendantur, qui ad hoc studii genus se conferunt. Caeterum Talmudis argumentum præcipuum versatur in tradendis ex veterum magistrorum mente, ritibus, caeremoniis, atque institutis variis tum ad sacra, tum ad vitae usum pertinentibus. Hinc Augustus Pfeifferus *in critic. sacr.* judaicum *caeremoniale* vocat Talmud, & Seldenus *Pandectas* juris tam sacri, quam moralis judaeorum. Catalogum ordinum seu tractatuum corporis talmudici pertexuit accurate Buxtorfius *in recensione Talmud.* quem sequitur Christophorus Wolfius *p. 2. Bibl. Hebr.* Auctores istos adeat lector, ut tractatuum illorum ac capitum, quae hebraice indicitantur significationem obtineat, ad hoc ut interpretes qui de iis mentionem faciunt, assequatur. Ordo seu tractatus quartus est de *negichin*, idest de rebus forensibus. Libri eius sunt decem. Primus vocatur *bavà chamà*, idest porta prima, ubi agitur de damnis vel a bestiis vel ab hominibus illatis igne vel alio modo. Secundus

cundus vocatur *bavà mezighià* idest porta media, ibique agitur de rebus inventis, de deposito, mercede, commodato, mutuo, usura, foenere &c. Tertius est *bavà batrà*, idest porta postrema. Hic pertractatur de societate in commerciis, de ædium vicinitate, de emptione & venditione, de hereditate & successione, de possessione, de fideiussionibus &c. Ii tres libri nomine *portae* appellantur spectata veterum orientalium consuetudine exercendi judicia prope portas civitatum, per quod explicatur illud Psalmi: *non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta*; & illud Salomonis: *Nobilis in portis vir eius*. Quartus dicitur *Sanedrin*, ubi habetur mentio de Senatu maiore, de variis suppliciorum generibus &c. Quintus est *Maccoth*, idest de quadraginta plagis seu verberibus, quibus caedebantur ut est Deuteron. XXV. 3. Statuitur etiam cur doctores ab illis subtraxerint unam, quod Apostolo Paulo legitur contigisse 2. ad Corinth. XI. 24. Sextus est *Scevugoth*, idest de iuramentis, qui ad illud idonei sint, de formulis iuramenti &c. Septimus est *ghediotb*, idest de testificationibus, ubi etiam placita plura doctorum recensentur. Octavus dicitur *boraiotb*, seu de documentis & statutis judicum. Nonus est *avodà zarà*, vel *avodà elilim*, vel *avodà cotavim*, idest de idololatria &c. Hic liber deficit in editione Basileensi. Decimus demum vocatur *Avot*, idest de patribus legis, ubi illorum qui legem oralem docuerunt ponuntur dicta, sententiae, & axiomata. Idem quoque vocatur *pirchè avoth*, idest capitula patrum. Hunc tractatum nobis enucleasse sufficiat. Caeteri legi possunt apud citatos scriptores sicuti & apud Bartolocciunt. Nunc brevi transigenda est quaestio non parvi utique momenti de merito Talmudis.

Non satis inter se consentiunt eruditi, utrum utilis sit lectio Talmudis, nec ne, ad penitiorem Scripturarum intelligentiam. Talmudi non multum favet Christoph.

ſtoph. Wolfius *part.* 2. hisce verbis: *Negari non poteſt nonnulla hic occurrere, quæ vel ad Scripturæ explicationem, vel morum doctrinam, vel fidei quoque dogmata aſſerenda ſpectent; ſed iſta omnia & rarius occurrunt, & obiter ac translatitia opera ſubindicantur magis, qua pro rei dignitate exponantur.* Verum de fabularum tam ingenti copia Talmudis, quam ibi reperiri aſſerit Richardus Simon *in hiſt. crit. V. T.*, Huetius *in Alnetanis*, & alii etiam cuique facile erit iudicare, cum omnium oculis ſit latine expoſitum opera Surhenuſii, proindeque concedent omnes Miſnam paucis ſcatere, quamplures vero easque putidiſſimas extare in Ghemara. Attamen non legendum Talmudem docent alii propter calumnias, atroceſque iniurias, quae in illo irrogantur Chriſto Domino, & Chriſtianae religioni. Judicat tamen Bartoloccius *part.* 3. *Bibl. Rabb.* non peti Chriſtianorum doctrinam & religionem in Talmude, & ſpeciatim in libro *avodà zarà*, ſed licet primi auctores Talmudis de Chriſtianis non cogitaverint, ſed gentilium ritus dumtaxat reſpuerint, recentiores judaeos, quae ibi dicuntur de gentilibus, iniquo animo ad chriſtianos detorſiſſe. Verum Bartoloccii opinioni non adhærebit qui per integrum legerit Joannis Andreae Eiſenmengeri Judaiſmum detectum, ubi omnia congeruntur quæ contra Chriſtum Dominum, eiuſque ſanctiſſimam religionem impudentiſſima leguntur, ſicuti etiam Joſephum Voiſin *in prolegom. ad Raym. Mart. Pugion Fid.*, Xyſtum Senenſem *Bibl. S. lib.* 2., & Wilelmum Surenhuſium *in orat inaugurali de natur. Pandect. hebraicar.* Idipſum confirmat Chriſtophorus Wolfius *part.* 2. *de Jeſu in Talmude*, ubi obiectiones diluit illorum, qui ſilentium adſtruere conantur in Talmude de rebus Chriſtianorum. Et certe cum de implacabili in Chriſtianos odio judaeorum dubitari nequeat, ac praecipue in Chriſtum Servatorem noſtrum, a quo, etiam occluſis

eorum

eorum mentis oculis ad ea omnia quae ipsum designant, ac potissimum ad vaticinia, probe noscunt totius judaicæ gentis pendere exterminium, dispersionem, ac perpetuum subiectionis jugum, mirum esse non poterit, si non sine execrabili impietatis nota de eodem fiat mentio in Talmude, qui prodiit Christianismo jam propagato. Provocat inter alia adversarios Wolfius ad ipsum nomen *Jesus*, quem ipsi pronunciant non per *Jesciuagn*, sed per *Jesciù* voce mutila ac decurtata. Id autem ab ipsis effici contumeliae causa dabunt omnes, qui in illorum arcanis scribendi modis versati sunt. Idipsum notavit etiam Buxtorfius *in lib. de abbreviaturis*. Subiicit tamen ipse Wolfius non inde existimandum Talmudem occupari solum in consarcinandis destinata opera contra Christianam religionem dicteriis, ut nonnulli ignoranter dictitant. Nos judicio acquiescimus Joannis Buxtorfii *praef. ad recens. Talmud.*, ac quidpiam utilitatis Talmudis lectionem adferre posse existimamus. *Sunt*, inquit ille, *in Talmude multa quoque theologica sana, quamvis plurimis inutilibus corticibus involuta. Sunt in ea multa fidei antiquitatis judaicae collapsa veluti rudera, & vestigia ad convincendam posterorum perfidiam, ad illustrandam utriusque Testamenti historiam, ad recte explicandos ritus, leges, consuetudines populi hebraei prisci plurimum conducentia. Sunt in eo multa juridica, medica, physica, ethica, politica, astronomica, & aliarum scientiarum documenta, quae istius gentis & temporis historiam mirifice commendant. Sunt in eo illustria ex antiquitate proverbia, insignes sententiae, acuta apophtegmata, scite prudenterque dicta. Sunt in eo multae vocum myriades, quae vel voces in Scriptura sacra usu raras illustrant, & native explicant, vel totius linguae hebraeae, & chaldaeae usum augent, qui alioquin in defectu maximo mutilus & mancus iaceret. Sunt denique in eo quamplura ad novi Testamenti loca multa quoad voces, phrases, & historiam illu-*

illustranda maximum momentum habentia. Haec repetit Wilelmus Surenhusius *praef. ad corpus misnic.* In eamdem quoque sententiam descendit Raymundus Martinus, eiusque expilator Petrus Galatinus, Hieronymus de Sancta Fide, Simeon Muisius, Joseph Scaliger, Ioannes Seldenus, & alii multi. Et revera clare evincit Raymundus Martinus in refutandis judaeorum erroribus non parum prodesse Talmudem, ac spectari posse veluti telum ex hebraeorum pharetra depromptum. Praetereundum tamen non est nonnullos ex Protestantibus pluris facere hunc librum, quam mereatur, inter quos eminet Ioannes Lightfooth, qui eo devenit, ut non vereatur adserere *in praef. ad horas hebr. & talmud. super Matth.*, planiores interpretes quam talmudistas non habere textum Evangelii, ob eamque causam a nonnullis etiam acatholicorum exsibilatus est, & speciatim ab Isaaco Vossio, qui tamen ad alteram extremam partem declinavit. Illud dici nequit nisi sub ea ratione, & hoc non saepius, qua idipsum adfirmat laudatus Buxtorfius.

Qui Misnam collegerit vulgo creditur ab judaeis fuisse Jeudam, quem honoris causa Principem vocant & Sanctum, & Rabbi seu doctorem praecipuum, atque etiam *Rabbenû accadosc*, idest Magister noster sanctus. De eo legi potest Bartoloccius sub nomine Jeuda, & Wolfius *in catalogo Doctor. misnicor. part.* 2. Cum vero communiter adfirmetur eum vixisse sub utriusque Antonini, & Commodi imperio consequitur Misnam comparuisse circa dimidium tertii saeculi. Legatur Henricus Hottingerus *in hist. Eccl. N. T. saec.* 2. Certe antiquitatem hanc adstruit dictio Misnae pura, & ad hebraismum & chaldaismum minus corruptum propius accedens; proindeque illius natales referendi non sunt ad saeculum sextum, quemadmodum contendit Joannes Morinus *in Exercit. Bibl. exerc.* 6. *cap.* 2. De ea Origenem loqui *lib.* 4. *cap.* 2. *Periarchon* fatetur ipsemet Morinus. Hierony-

mus

Digitized by Google

vero *ep. ad Algasiam* dum ait, *quantae traditiones pharisaeorum sunt, quas hodie vocant deuterosis, & quam aniles fabulae quas evolvere nequeo: neque enim libri patitur magnitudo, & pleraque tam turpia sunt, ut erubescam dicere*, procul dubio indicitavit totum Talmudis corpus, ut probat Jacobus Triglandius *in dissert. de Charraeis contra Morinum*. Disputat etiam Iacobus Basnage contra Morinum *lib. 3. hist. judaeorum*. Notandum cum Buxtorfio *in recens. operis Talmud.* alium esse Talmudem quem Ierosolymitanum vocant, quem pro judæis ierosolymitanis in terra Israelis commorantibus efformatum dicunt, & cuius auctorem faciunt hebraei rabbi Iochanan. Quia vero pauciores hebraei in terra Israelis habitabant, idcirco minor semper illius fuit usus. Constitutiones etiam ac decisiones imperfecte continet, unde praeferendus est alter, qui dictus est Babylonicus. Ad expositionem Talmudis magno numero se contulerunt hebraeorum doctores, quos variis titulis insignitos legimus, & ob eam causam scholas seu academias fundarunt. De hisce academiis fuse tractat Bartoloccius *part. 3. Bibl. Rabbin.*, Benedictus Bacchinius *in origin. hierarch. ecclesiast.*, Ioannes Buxtorfius *in lex x. Rabb. Talmud.*, & *in Tiberiade seu commentar. Masor.*, Scipio Sgambatus *in Arch. V. T. lib. 3.*. Verum successu temporis tum e Gallia, Hispania, & Italia, ubi viguerant, merito excisæ sunt, & solum in Belgio umbratilis existit schola, cui potius cura unice est in lucem edere libros qui usui communi inserviant. Nunc acquiescunt judaei suo Talmudi, & commentariis quos veteres condiderunt. Variis calamitatibus apud christianos obnoxius fuit Talmud. In Justiniani *novella* 146. hæc leguntur: *eam scripturam quae secunda editio dicitur, interdicimus omni modo, utpote sacris non coniunctam libris, neque desuper traditam de Prophetis, sed inventionem constitutam viro-*

P rum

rum ex sola loquentium terra, & divinum in ipsis habentium nihil. Hæc dici de corpore Talmudico non pauci asserunt apud Fabricium *vol.* 3. *Bibl. graecae pag.* 314. Illis etiam temporibus quibus inane ac superstitiosum astrologiae judiciariae vigebat studium, & in hebraeorum scholis odium firmabatur contra christianam religionem merito ab Ecclesia damnata fuit lectio Talmudis. Legatur hac super re Xystus Senensis *lib.* 2. & 4. *Bibl. S.*, & Bartoloccius *part.* 3. *pag.* 731. *seqq.* Circa annum 1510. contentione exorta inter Joannem Reuchlinum, & Pfeffircornium num penitus abolendus Talmud, adprobata communiter fuit Reuchlini sententia de non comburendo Talmude, quam sequitur etiam Galatinus *lib.* 1. *de Arcan. Cathol. verit.*, Jacobus Gretserus *in tract. de jure, & more probibendi, expurgandi, & abolendi libros haereticos*, Bellarminus *de Laicis cap.* 20. *art.* 20., Theophilus Raynaudus *in Erotemat. de bonis, ac malis libris*. Et certe tanti non sunt, ut adprobentur quae contra afferuntur a Xysto Senensi *lib.* 2. *Bibl. S.*, a Nicolao Serario *in Rabbin. lib.* 1. *cap.* 33., & Bartoloccius *part.* 3. & *seq.* Hinc sub auspiciis Concilii Tridentini cura Marci Marini Brixiensis anno 1578. Talmudis editio facta est Basileae sublatis iis quae adversari christianae religioni videbantur, ac praecipue expunctus fuit integer codex, uti supra dictum est, cui titulus *Avodà zarà*.

Quaenam hic addere iuverit de Rabbinorum biblicis commentariis, qui appellantur sua lingua *peruscim*. Leusdenius *in Philog. heb. mixto dissert.* 16 observat Aben Esdram *in praefatione rhythm.* quae extat in Bibliis Buxtorfii ante Pentateuchum, quinque interpretandi methodos agnoscere. Prima quae *prolixa* dicitur, ea est, cum quis ex una textus voce occasionem abripit disputandi circa ea quae ad vocem illam referri possunt;

sunt; ex. gr. ex voce *lucis* Gen. I 3. si quis pertractaret de optica, ex voce *plantarum ib.* 12. de re herbaria, & sic porro. Hanc tenuerunt plerumque arabes, & idcirco nonnulli hebraeorum arabum opera quædam in hebraeum transtulerunt. Altera methodus se sistit in explanando textu, ejusque sensu eruendo. Tertia in allegoriis excogitandis occupatur. Quartus modus dicitur *cabalisticus*, cum quis variis modis per literarum immutationem, transpositionem, vel per earumdem in numeros resolutionem mysteria, & dogmata quaedam ex Scripturis elicit. De huiusce genere cabalae fuse tractant Bartoloccius, Wolfius, & citatus Leusden *in philolog. hebr. dissert* 26. Postrema methodus est illorum qui textum hebraeum vel grammatice, vel paraphrastice prius explicant, ac deinde eiusdem doctrinam exponunt.

Quod pertinet ad rabbinicarum interpretationum utilitatem eadem repeti possunt quæ dicta sunt de utilitate Talmudis. Quamplura siquidem in illis occurrunt inutilia, fabulosa, deridicula, sicuti & impia, & inhonesta, attamen non modici pretii reliqua spectanda sunt. Non pauca didicisse Hieronymum illorum magisterio ad veteris Testamenti explicationem eruitur ex illius praefatione *in Tob.*, & fatetur etiam Morinus *lib.* 1. *exercit.* 3. *cap.* 2. *sect.* 2. Certe ab eisdem plurium vocum hebraicarum sensum haurimus, sicuti & phrasium, ac peculiarium loquendi modorum. Nonnulla afferre liceat exempla, ut illud Lucæ XXIV. 4. Uranos *coelum* significat Deum, methonymia hebraeis usitata. Illud etiam Matthæi XVI. 19. *ligare & solvere* denotat apud hebræos etiam interdicere, & permittere. Hinc digna sunt ut referantur, quæ scite scribit Lud. Capellus *in præf. spicileg. super interpr. N. T. Cum*, inquit ille, *novi Test. phrasis tota sit hebraica* (*etsi voces graecae sint*) *sane penitior, & accuratior eius intelligentia pendet a linguæ*

hebrai-

hebraicae, syriacae, chaldaicae, rabbinicae, earumque propriae phraseos cognitione: multa enim sunt in novo Test. in quibus sacri scriptores tacite alludunt ad ea quae sunt in veteri; multa itidem in quibus tum Christus, tum eius Apostoli respexerunt ad mores, placita, dogmata, usus, consuetudines, sententias, proverbia, parabolas, gnomas veterum sui temporis hebraeorum, inter quos vixerunt, & docuerunt. Ritus etiam, quorum in V. T. fit mentio, cum aliquo modo adhuc non pauci observentur, non obscure explicant interdum rabbini interpretes. Quid velit Apostolus 1. ad Cor. VII. 18. per illud *attrahere praeputium*, de quo legitur Jerem. IX. 25. per hæc verba *visitabo super omnem circumcisum cum praeputio*, rabbinorum ope explicat perspicue Buxtorfius *Lex. Talmud. in rad.* maschak. Erat crimen, prout tradit etiam Salomon Jarchi, efficere ut non appareret circumcisio cutem attrahendo. Intelligitur etiam ex rabbinorum doctrina Apostoli sententia illa 1. Cor. XVI. 22. nimirum qui non amat Jesum esse anathema, seu maranathà. At hebraeis tres distinguuntur gradus excommunicationis. Primus est *niddui*, idest *separatio*, quæ perdurat per triginta dies. Secundus *cherem*, *anathema*. Hic erat priori gravior cum maledictionibus & diris conjunctus. Tertius *maranathà* erat gravissimus. Hæc vox derivat ex *moren* idest *Dominus*, & *athà* idest *venit*. Sic Apostolus eam vocem usurpavit ad indicandum, quod Dominus veniendo veniet, idest certissime veniet, & ulciscetur. Ex iis etiam quæ ab hebraeis colligit Buxtorfius *cap. 9. Synag. Jud.*, explicantur verba Christi apud Matthæum XXIII. 5. circa dilatationem phylacteriorum. Denique illorum commentarii quandoque ad judaeorum pervicaciam retundendam inserviunt. Hinc commendandus non est Calmetus qui *in praef. Comment. SS. Scriptur.* pollicetur se uti nolle rabbinorum sententiis. Attamen

tamen promissioni non stetit, ac non raro eosdem citat. In gratiam autem tyronum nonnulla a nobis referentur de praecipuis inter judaeos Scripturarum interpretibus, de quibus saepe etiam fit mentio a christianis theologis. Celebriores sunt Salomon Jarchi, Aben Esdra, David Chimchì, & Maimonides.

Rabbi Salomonem appellandum censet Wolfius non Jarchi, sed Isacidem, ac nomen Jarchi ex consuetudine quadam illi inditum fuisse, cui consentit Rich. Simon *in catal. auctor. ad calcem hist. crit. V. T.* & *in Biblioth. crit. tom.* 4. Alii cum Bartoloccio putant per vocem Jarchi designari patriam. Cum enim Jarchi significet *lunarem* volunt Lunelli in Gallia. Buxtorfius tamen *in abbreviaturis* Germanum facit, ac Treviri natum. Verum communior sententia est ortum fuisse Trecis, seu Augustae Tricassinorum circa annum 1105., ac vixisse creditur septuaginta quinque annis. Peragrasse fertur Germaniam, Italiam, ac deinde Graeciam, Terram sanctam, Aegyptum, ac Persiam, ibique, quae audiverat, legeratque super Scripturas in suas commentationes transfudisse, quas edidit super omnes Scripturarum libros. Fatetur Wolfius valde esse obscurum tum propter scribendi formam, tum propter exoticas voces, ac potissimum gallicas, tum denique ob fabulas, quibus saepe indulget. Conferatur Le Long circa huius operis editiones. Versio facta est Gothae a Ioanne Frider. Breithaupto. Varia huiusce commentarii judicia collegit Georgius Serpilius *in vitis scriptor. biblicor.*. De eo quoque mentionem facit Petrus Baelius *in Dict. hist. crit. tom.* 2 *pag.* 1630. *&* 1663, & Iacob Basnage *in hist. jud. tom.* 5. Vulgo appellari solet *Rascì* ab initialibus literis harum vocum *Rabbi Salomon Iarchi*.

Rabbi David Chimchì fuit hispanus, floruitque circa annum 1192., sed Narbonae in Provincia multum commora-

moratus est. Chimchì latine significat *molitorem*, seu farinaceum, unde inter hebraeos enata sententia est : farina non est lex, idest infeliciter in intelligenda lege conlocatur opera sine cognitione interpretationum, cui respondet altera : nulla farina sine Chimchio. De re grammatica est optime meritus, & Morinus *in Exercit. Bibl.* eum hac in re praeivisse christianis adfirmat. Eum certe sequuntur Pagninus, & Reuchlinus, quod primus in suis institutionibus linguae sanctae ingenue fatetur, adiecto dumtaxat ordine qui in Chimchii grammatica desideratur, quae ab ipsomet appellatur *Michol*, idest *perfectio*. De illius exegeticis operibus, caeterisque omnibus quae ad ipsum pertinent, conferantur ii omnes scriptores quos supra memoravimus dum disseruimus de Jarchio, quibus adiungi potest Vilelm. Schischardus *in bechinn. apperuscim*. Illius scripta non parum existimantur ob styli elegantiam, & quia valde inserviunt illustrationi textus sacri codicis. In suis commentariis ad Aphtaroth, seu lectiones propheticas quae habentur in synagogis, vocatur Radac, in quo vocabulo per primas literas Rabbi David Chimchi, illius nomen continetur.

Proprium Aben Esdrae nomen est Rabbi Abraham ben Meir, idest filius Meir. Ex appellatione arabica dictum volunt nonnulli nepos Esdrae. Verum Buxtorfius *in abbrev.* nomine Esdrae idcirco seipsum appellasse *in praef. rythmica ad Pent.*, eo quod respexerit ad nomen proprium lapidis, qui 1. Reg. VII. 12. dictus est *Aven gnezrà*, idest *lapis auxilii*, & hoc non sine fastu. Ab hebraeis antonomastice vocatur *Achacham*, idest sapiens, ab illorum consuetudine viros qui apud ipsos excellerent peculiari cognomine honorandi in argumentum existimationis. Rabbi David Ganz de illo neutiquam contentus eumdem vocat *chacam aggadol umeappelegh*, idest sapientem magnum & admirabilem. Constat eum floruisse

isse sub dimidio saeculi duodecimi, & si fides habenda est Rich. Simonio *in ind. scriptor.* natales habuit Romæ, vitam vero duxisse Rhodi. Non solum hebraeis, sed etiam christianis in aliquam venit commendationem Aben Esdra, & Rich. Simon *lib. 3. cap. 5. hist. V. T.* nullum adfirmat inter hebraeos tam liberaliter ac sapienter praeter Aben Esdra Scripturam esse interpretatum. A Bartoloccio vero appellatur excellens philosophus, astronomus, medicus, poeta, grammaticus, & Scripturae sacræ famosus interpres. Caeterum illius explanationes illis anteponendae sunt, quas edidit Rascì, utpote qui a nugis, fabulisque multum abstineat, magis in dictione perspicuus, sacrae scripturae idiotismorum tenax, & sermone elegantior. Omnes qui de eodem Esdra judicia protulere collegit Georgius Serpilius *part. 4. vitar. Scriptor. biblicor.* Conferatur etiam Huetius *Demonstr. Evang. prop. 4. cap. 4.* Huius opera tam exegetica, quam theologica, grammatica, philosophica, mathematica, ac miscellanea post Bartoloccium erudite commemorat Christ. Wolfius. Arabicam linguam apprime calluisse etiam constat.

Omittenda quoque non est brevis historia de Maimonide, qui saepissime ab interpretibus commemoratur, quique inter hebraeorum scriptores illustrem occupat locum. Illius nomen est Rabbi Mose ben Maimon, seu filius Maimon, a quo dicitur Maimonides. A sui nominis initialibus literis vulgo vocatur *Rambam*. Appellatur quoque *morè*, idest doctor, sicuti etiam Moses simpliciter, vel Moses ægyptius, licet Rich. Simon sine ratione tamen *in epist. selectis* utrumque Mosem distinguat a Maimonide. Cordubae natus est in Hispania anno circiter Christi 1132., sed toto vitae suae cursu in Ægypto commoratus est. Vitam illius describit Jacobus Basnage *in hist. iudaic. tom. 5.* Longi essemus si illius

opera

Digitized by Google

opera commemorare aggrederemur. Ea enunciant accurate Bartoloccius, & Wolfius. Tantam sibi laudem apud hebraeos nactus est, ut communis sententia apud ipsos vigeat: a Mose propheta usque ad Mosem Maimonidem nullum extitisse Mosi similem: digna quidem obcaecato judaeo. Illius *Alacoth* seu expositiones in Misnam maximae apud eos sunt auctoritatis. Multum quoque illius opera prodesse posse christianis theologis negari nequit. Si fides adhibenda est Ioanni Seldeno ejusdem operibus usus est etiam S. Thomas Aquinas, & praesertim versione latina libri, cui titulus *Morè nevochim*, idest doctor perplexorum, quem Raymundus Martinus vertit *directio nutantium*. Qui plura desiderat de Maimonide adeat citatos scriptores.

Superest ut loquamur de Abarbanelo. Proprium illi nomen fuit Isaac Abarbanel, quem alii dicunt Abravanel, seu Abarbinel, Abarbenel, Abrabaniel, & Abrabinael. Ita dictum volunt nonnulli ex hebraicis vocibus *ab rabbanel*, idest pater doctor in rebus divinis. Sententiam, quae contendit ex stirpe David originem eum duxisse, explodunt Huetius *Demonstr. Evang. prop. 9. cap.* 4., & Bartoloccius *part. 3. pag.* 886. Juxta Wolfium Ulysippone in Lusitania natus est circa annum Christi 1437. Deinde migravit in Hispaniam, e qua cum suis expulsus anno 1492. Neapolim appulsus est, ac postmodum, Carolo VIII. Galliae Rege regno Neapolitano devicto, in Siciliam abiit, ac deinde Venetias, ubi defunctus est. Teterrimum odium in religionem christianam semper professus est, illud passim in suis operibus aperte declarat, sed praecipue in commentario in Danielem sub titulo *magnenè jescingnà*, idest fontes salutis. Fatente tamen ipso Bartoloccio plura etiam occurrunt in suis operibus, quae ad illustrationem maxime conducunt sacrorum Librorum. Catalogum ipsius operum habes penes dictum Bartoloccium

cium, sed copiose magis apud Wolfium. De eo sic loquitur Nicolaus Antonius *praef. ad Biblia Hispanica: Isaacus Abarbanelus, si a natura eum expendas ingeniosissimus, si a studiis doctissimus, si ab industria totus labor; idem tamen christiani nominis, si quis alius, infensissimus hostis, ac perversissimus veri calumniator.* Eadem propemodum habet Bartoloccius, subditque suis fraudibus viam parasse sibi, cunctaeque suae genti exilio ab Hispaniæ regnis. De eo quoque mentionem facit Petrus Baelius *in dict. hist. crit. tom.* 1. Henricus vero Maius eius vitam describit. Ex iis itaque quae de hebraeorum magistris breviter attigimus omnino spernenda non esse eorumdem opera clare innotescet, & audiendos non esse, qui dictitant nil posse percipi emolumenti ab illorum scriptis. Quamplures haereticorum libri non minus infensi sunt catholicae religioni, quam hebraeorum, in quibus livor & odium se prodit in fidem nostram. Quare si quae dicunt veritati consona & nos recipimus; cur non etiam quae eiusmodi sint in hebraeorum libris non excipiemus? Fatemur quidem Ecclesiae doctrinam satis perspectam & comprobatam habere oportere, studiisque rite efformatis eos, qui ad rabbinorum lectionem se conferunt, omnino esse repudiandos negamus. Bernardus De Rossius in praeclaro opere cui titulus *de vana judaeorum expectatione eorum regis Messiae*, judaicae caecitatis perfidiam ipsorum rabbinorum sententiis egregie refutat.

Digitized by Google

CAPUT XII.

De Sacrarum Scripturarum obscuritate, ac de necessitate illarum infallibilis Interpretis in Ecclesia.

ACerrimum viguit semper percrebuitque dissidium, Catholicos inter & Lutheranos super verborum Dei obscuritatem. Licet in confesso sit apud omnes multa in Scripturis esse apertissima, ac intellectu facillima, attamen quamplura tum in veteri tum in novo Testamento maxima obscuritate laborare, ac sub velamine quodam sæpenumero sensum latere, unanimi consensione Catholici affirmant; interea dum Lutherani contendunt divinam Scripturam planam ubique ac perspicuam esse cuilibet legentium. Litem hanc removeri nequaquam posse dabunt omnes, non quia palmaria neutiquam sint & inluctabilia catholicorum argumenta, sed spectato hæreticorum perverso consilio. Acute siquidem observarunt hæretici omnes proprium systema Christi institutis inimicum invehere in Ecclesiam non posse, neque tueri firmiter, nisi subtracto ab Ecclesia infallibili Magisterio, cui tamquam oraculo parere omnino, seposita qualibet difficultate necesse sit. Ne igitur ruat illorum systema denegant lutherani in Ecclesia indefectibilem sententiam super Scripturas etiam, ut illarum testimonia facili

facili negotio in sui erroris patrocinium detorquere poſsint. Accedit etiam, cum regulam quamdam immutabilem eamque indubiam & manifestam sequi oporteat in rebus fidei, sublato semel magistratu illo pro unica fidei regula habent ipsi Scripturas, quæ nisi apertissimae forent, pro regula reputandae non essent. En igitur causa potissima cur tantopere pugnent omnia pervia, & clara esse in Scripturis, quod effecit Lutherus ipse, qui variis in locis docuit sed praecipue *in prooem. assertion. Scripturam esse per se certissimam, facillimam, aptissimam, sui ipsius interpretem, omnium omnia probantem, iudicantem, illuminantem*. Idipsum quoque repetit in libro *de servo arbitrio* contra Erasmum. Illius asseclae quantum erroribus suis conferre firmitatis astute intuentes, qui alioquin in propatulo essent, opinionem hanc; ab ea nunquam discedunt, & licet argumentationibus catholicorum pressi, ac profligati, omnium haereticorum more de ea tamquam de re certa, & explorata loquuntur apud suos. Exemplo est nuperus auctor institutionum Hermeneuticae sacrae Joachimus Pfeifferus, quas anno 1771. edidit Erlangae, opus sane eruditum, sed valde implexum, & obscurum. Liceat itaque cum eo congredi, & libenter quidem curam hanc suscipimus, cum ibi argumentorum summa contineatur, quæ ab aliis exposita sunt contra Scripturarum obscuritatem, & inde occasio commode abripi possit plura discutiendi quæ cum huiusmodi quaestione connexa sunt.

Ut omnem initio operis a se removeat invidiam, haec habet: *Falso accusamur a Pontificiis, quasi privatum cuiusque spiritum in interpretatione sacri codicis sequeremur. Enthusiastis hoc obiiciant non nobis. Nos maxime negamus in diiudicandis doctrinae coelestis capitibus ad arbitrarium proprii cordis dictamen remitti quemquam posse, nisi omnia destinato consilio velimus reddere incertis-*

certiſſima, aut omnino in hominum fanaticorum ſomnia incidere. Ex illuſtri hoc teſtimonio a lutherano viro prolato, quis non videt eum ingenue fateri Scripturas ubique non eſſe claras; ſed inſuper quis non expectaret, ut incertitudo removeatur, & fanatiſmus, qui procul dubio ex illius ſententia oriretur data ſemel licentia cuilibet privato viro definiendi ſuper Scripturas, hanc facultatem eum concedere ſummo Eccleſiae magiſtratui, qui divino lumine colluſtratus controverſias de Scripturis dirimat? Licet haec conſecutio manifeſte ſe prodat, alio tamen incaute ſe profert Pfeifferus. Paragrapho 7. poſtquam aſſeruit coeleſte donum interpretandi Scripturas ſolis Apoſtolis fuiſſe conceſſum inde concludit: *Cum facultas interpretandi ab immediatae operationis divinae beneficio profecta fruſtra hodie expectetur, veritatem interpretationis evincere contra alios nemo poterit, niſi qui diſtincta gaudet regularum, quibus attemperata eſt, cognitione, eaſque ipſas ſolide probare poteſt;* & in prima nota huiuſce §. idipſum confirmat aiendo: *Quemadmodum vero poſt Eccleſiam Chriſti plantatam generatim dona miraculoſa deſierunt: ita habitum quoque infuſum interpretandi ſacras literas expetere nuſquam juſſi ſumus, vel in Eccleſia plantata expectare. Acquiſitus potius iſte eſt habitus*. Ab humana itaque induſtria, & criticae legibus, juxta Pfeifferi mentem, repetenda eſt omnis Scripturarum interpretatio. Verum quae conſtaret religio ſi illius dogmata conſtitui oporteret in Scripturis, ſed ab homine unico profanae ſcientiae lumine inſtructo explicatis? Errat quidem Chriſtianus Pfaffius dum ait *in Colleg. Theolog. methodolog.* propter mundi impietatem authentica indigni interpretatione, quæ vel mediate, vel immediate divinam habeat originem, factum eſſe ut ea privaretur; alioquin in unam homines diſſentientes conſentirent religionem. Errat quidem turpiſſime in pri-

mis

mis verbis, eiusque sententia bonitati divinae ac providentiæ circa hominum salutem iniuria est, ut nihil magis; & comprobat sane, quod Bossuetius pronunciavit, haereses omnes viam sibi parare ad atheismum. Etenim eadem utique de causa, nimirum propter hominum pravitatem, necessum erat, quotiescumque viam salutis commonstrare decreverit Deus, ut daret etiam infallibilem Scripturarum interpretem. Iniuste tamen corripitur a Pfeiffero, cum ibi necessitatem agnoscat Pfaffius interpretis, qui nesciat falli, ut una sit, neque unquam scindatur, religio; cumque verissimum sit relicto sensu Scripturarum ratiocinationibus hominum in religionis negotio dissensuros semper, & tot fore tunc religiones, quot ferme hominum capita, quod constat apertissime ipsorum protestantium exemplo. Nisi itaque auferre impie velimus Deo bonitatis ac providentiae adtributa, quotiescumque dicatur aptissima media voluisse homini suppeditare ad salutis consecutionem, quæ quidem complectitur religio christiana, necesse est etiam adserere illius libri qui ad hunc finem ipso inspirante conscriptus est, interpretem dedisse qui falli nequeat. Aliter in deceptionem datae essent Scripturae, non in aedificationem. Reponit tamen Pfeifferus tempore etiam Apostolorum, qui quidem non ingenio suo freti, sed a Spiritu Sancto recipiebant Scripturarum interpretationem, ingruisse dissensiones, & hæreses. Unde nil mirum si sublata deinceps interpretationis revelatione, variae ac inter se contrariae super Scripturas excitentur opiniones. Facilis tamen est & expedita responsio. Non ex Scripturarum indubia interpretatione Apostolícis temporibus emerserunt haereses, sed ex hominum superbia, qui Ecclesiae exponenti Scripturas obtemperare renuerunt. Quod quidem pro quauis aetate dicendum est, cum Ecclesia Apostolorum sit Ecclesia omnium temporum. Praeteréa si quid-

si quidpiam probaret huiusmodi obiectio, probaret utique vix ullam post Apostolos haeresim proprie dictam enasci potuisse. Cum enim haeretici ferme omnes doctrinam suam in Scripturis contineri jactitent, si Scripturarum intelligentia ab humani ingenii facultate pendeat, consequitur sane illorum peculiares sententias rationi adversari non fidei, quando nullus existat supremus magistratus qui infallibiliter decernat aliam ac plane diversam esse illorum textuum expositionem ab ea quam ipsi proferunt, ac tenacissime defendunt. Desinant itaque Lutherani, & Calvinistae haereticorum notam inurere Socinianis. Haeretici quidem sunt, sed hoc nomine ab illis appellari nequeunt, cum ingenio suo aeque ac ipsi Scripturas exponant. Illud etiam clare intelligitur, quod non sine ratione adfirmant catholicorum Theologi, jus nequaquam habere haereticos producendi Scripturarum testimonia in suarum opinionum confirmationem. Nam cum in earumdem sensu contineatur id quod affirmat Theologus, si huiusmodi sensus non determinetur a Deo, sed ab homine vi dumtaxat naturalis luminis, qui utique decipi potest, assensum ab aliis neutiquam extorquere potest; quod ex iis quae modo subiiciemus erit manifestius.

Verum Pfeifferus se loqui de interprete illo affirmat, qui omnes interpretandi regulas habeat perspectas, & reliqua omnia illi suppetant subsidia exponendi Scripturas, uti cognitio linguarum, rerum judaicarum historia, ritus, consuetudines, & alia huiusmodi. Hunc audiendum omnino decernit, quemadmodum in humanis scientiis demonstrationibus acquiescimus philosophorum. Ast, praeterquamquod argumentis etiam firmissimis a ratione ductis non omnes adhaerent, quia non omnibus neque idem ingenium, neque eadem satis cognita sunt principia, semper verum erit assensum hujusmodi absolute

lute praeberi, non Deo loquenti, sed homini interpretanti, qui decipi potest. In re autem maximi momenti, qualis proculdubio est finis ultimus, homini falsitati semper obnoxio credere absque ulla dubitatione absurdissimum est. Rem exemplo illustrare facile erit. Curet Lutheranus contra Socini discipulum adstruere textibus Scripturarum Christum esse Deum. Non sine causa negabis sensum in illis textibus contineri quem proponit Lutheranus. Quandoquidem ex multis aliis testimoniis constat Christum vere hominem fuisse, unde non auscultandum censet Lutheranum, qui suae expositionis testem non habet firmissimum, nisi propriam rationem, quae errare potest, & errat frequenter (*a*). Ipsa errandi possibilitas valde imminuit fidem, & si disputatio sit de re difficillima quandoque omnem assensum excludit. Insuper quis facile dabit interpretem puta Pfeifferum ipsum in expositione unius vel alterius textus omnes criticae sacrae spectasse canones, ac nihil prorsus praeteriisse quod necessario pertineat ad textus intelligentiam, proindeque

(a) Inter Scripturarum testimonia circa Christi divinitatem illud proculdubio est Joannis initio sui Evangelii, ubi diserte tradit Verbum esse Deum, ac deinde docet quod hoc Verbum caro factum est. Verum ut in hoc prodigio tollantur ii modi omnes, quos multi ex haereticis comminiscuntur, puta pure Dei assistentiae, sed asseratur hanc unionem esse personalem necessariam, certe est infallibile Ecclesiae decretum. Nec sibi consulit Pfeifferus aiendo quod id constat ex aliis textibus clarioribus, cum haec Joannis verba luculentius prae aliis indicant hanc veritatem, & si mens Ecclesiae non esset ibi indicitari veram Dei assumptionem humanae naturae, sed dumtaxat specialem Dei gratiam, tam allatus textus, tum caeteri omnes huic sententiae accommodarentur. Non negamus tamen plus tribui Christo a Scripturis, quod superet conditionem puri hominis, sed semper verum erit, ut omnis removeatur dubitatio, & controversiae excindantur, necessarium esse summum magistratum qui id definiat aperte.

deque non fuiſse deceptum ? Id fieri poſse nemo inficias ibit, ac perſpicue patet exemplo doctiſsimorum virorum, ac melioris critices peritiſsimorum, qui interdum dormitarunt. Inſuper cum jure merito pronunciet auctor noſter non ſufficere communes critices canones in diſquiſitione ſenſus Scripturarum, ſed multo plures exigere cognitiones divinum illud opus, magis augetur difficultas ad hoc ut certi ſimus, utrum privatus interpres omnia collegerit animo, & omnia adhibuerit media ad formandam certam & indubitatam textus expoſitionem. Praeterea qui ita excelluerit, ut calleat omne quod bonae inſerviat interpretationi, nonne teneri partium, quas tuetur, ſtudio poteſt, ut putet ſe ex textu eruere, quod revera textus ipſe non complectatur? Si arduum eſt ac perdifficile humanae naturae adfectu aliquo quod ſanae menti adverſetur, non praeoccupari, ſuſpicari etiam hanc difficultatem licebit in interprete Scripturarum. Praeterea aeque edoctus in regulis interpretationis eſſe poteſt cuiuſque ſectae diſcipulus, unde ſi doctiſsimi viri inter lutheranos, & calviniſtas diſſentiant ſuper unius teſtimonii ſenſu, numquam litigandi finem imponent, cum utrique regulas non neglexiſse contendant. Quid plura? Nonne & ipſi lutherani quandoque inter ſe diſſident circa alicuius textus expoſitionem? Nonne eſt a ſuis obiurgatus Grotius, quod ferme omnia ex Scripturis expungat prodigia? Grotius inquam, cui peculiaris doctrinae laus negari nequit. Neque officit quod ſententiarum diſcrimen occurat etiam apud catholicorum interpretes. Nam qui vere Catholicus ſit & ad ſuae religionis praeſcriptum interpretis munus exerceat, numquam, quod ipſemet excogitavit ſuper Scripturas, tamquam certum, & ab omni prorſus errore immune proponit caeteris, quamvis & ipſi quoque omnes interpretandi canones innoteſcere poſſint, quod non negabunt lutherani, niſi velint hanc ſibi

unice

unice facultatem concessam, caeteris omnibus a natura ademptam.

Praetereunda quoque non sunt alia Pfeifferi verba, ubi ait: *acquisitus est habitus interpretandi Scripturas, quo nunc gaudemus, sed sub assistente Spiritus Sancti gratia.* Haec propositio tam longe est ut Pfeifferum vindicet, quin eum potius implicat magis. Etenim dixerat ante solis Apostolis datum fuisse Spiritum Sanctum ita ut securi essent de veritate suae interpretationis, unde ei non licet asserere adhuc dari, ut amoveatur timor deceptionis in interprete. Si autem velit non ad hoc absolute accedere Dei adsistentiam, nihil profecto concludit per ea verba. Deinde quis erit tam arrogans ut sibi suadeat se habuisse in peculiari textus explicatione Spiritum Dei? Et si hoc dicere audeat, qui erunt qui credant? Si cui ad huiusmodi opus concessum volunt lutherani hoc Spiritus Sancti donum, concedent quippe Luthero suo, quem doctissimum aeque ac beatum praedicant. Sed cur iste sanctus patriarcha tam saepe ac turpiter sibi non constat in explicandis praesertim Christi Domini verbis super Eucharistiam, & in aliis etiam bene multis Scripturarum locis? Quilibet privatorum hominum quodnam poterit certissimum adferre testimonium a Deo acceptae revelationis super rebus fidei? Si non habet, conqueri nequit si ei denegetur assensus. Ex Scripturis ipsis habemus privatorum inter fideles munus esse auscultandi Ecclesiam, non docendi. Sed in re tam clara non licet diutius immorari.

Caeterum si in Ecclesia deesset summus Magistratus, cuius decreta irrevocabilia sint circa ea quae fidem respiciunt, inter quae locum utique habent Scripturarum explanationes, nulla certa ratio suppeteret Ecclesiae post Apostolos refellendi hostes illos qui eam adgredi tentant Scripturarum armis. Et revera si tempore sancti

Digitized by Google

Petri, ut inquit ipse in 2. *Ep.* III. 16., non deerant homines indocti & instabiles qui Scripturas depravarent, lapsu temporis idipsum contingere potuit, ac revera saepe contigit, quae quidem iniquitas adhuc perseverat. Quare illi necessaria est in quavis aetate Spiritus Sancti adsistentia ad os obstruendum inimicorum non humanis tantum ratiocinationibus, sed infallibilibus ac plane divinis ordinationibus. Si aliter esset, Christus providisset Ecclesiae suae dumtaxat pro Apostolicis temporibus, non autem usque ad consummationem temporum, quod repugnat ipsius Christi verbis Matth. XXVIII. 20., ubi ait: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*. Profecto Apostoli, quibus loquebatur, morituri erant, & mortui sunt; unde illius adsistentia procul dubio cadere debet in illos qui eorum ministerio succedunt, ut illius promissio perduret usque ad saeculi consummationem. Sed huiusce veritatis causam & argumentum praebet ipsemet Pfeifferus, qui regulas tradit omnes hermeneuticae sacrae. Vult siquidem ex verbis illis Apostoli ad Rom. III. 28. colligi ita aperte & evinci *ut nihil evidentius*, justificari hominem per solam fidem absque operibus legis, ac nomine legis intelligi ipsam Christi legem, atque ita carpit Pontificios qui aliter sentiunt. Immerito tamen. Nam nonne utuntur catholici in eiusmodi textus explicatione eisdem omnino regulis, quas tradit, ac sequitur Pfeifferus? Ac praecipue illa, qua instruimur testimonium quod satis clarum non est, comparandum cum iis quæ sint magis clara, & perspicua? Optimo jure ab eius suorumque sententia recedunt catholici, cum legant Apostolum Jacobum, qui eodem, quo scripsit Paulus, divino Spiritu ductus est, declarasse fidem sine operibus mortuam esse; & sanctum Petrum eodem utique dono refertum ita locutum fuisse, nimirum *fratres satagite ut per bona*

opera

opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis. Nomine autem legis intelligi oportere legem Mosis probant catholici ex ipsius Apostoli Pauli scopo, qui totus est in ea epistola ut arceat exjudaeos romanos a rituum veteris legis observantia, quos diligebant. Probe autem animadvertere auctoris scopum in illius interpretatione communissima regula est, sicuti etiam orationis contextum consulere. Ex contextu etiam liquet eum de lege Mosaica locutum fuisse, cum inter opera, quæ tradit esse supervacanea, nominet circumcisionem. Huic germanae interpretationi quiescuntne lutherani, quiescit Pfeifferus? Minime gentium. Illustre itaque in seipso praebet exemplum Pfeifferus peritum quemque in hermeneuticæ legibus labi turpiter posse; proindeque ne vagentur fideles, variisque doctrinis abripiantur, confugiendum est ad infallibilem Ecclesiae auctoritatem, cujus definitiones Christi virtute roboratae errori nequaquam subiaceant. Hinc Vincentius Lirinensis *lib. advers. profan. vocum novitat. cap.* 2. scribit: *hic forsitan requiret aliquis, cum sit perfectus canon, sibique ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est, ut ei Ecclesiasticae intelligentiae jungatur auctoritas? Quia videlicet Scripturam sacram pro ipsa altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed ejusdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur, ut pene quot homines sunt, tot illic sententiae erui posse videantur. Hinc necesse est propter tantos, ac tam varii erroris anfractus, ut Propheticae, & Apostolicae interpretationis linea secundum Ecclesiastici, & Catholici sensus normam dirigantur.* Huc usque ille. Cumque negare haud possint protestantes hanc opinionum varietatem viguisse etiam inter Lutherum, Zuinglium, Calvinum, caeterosque illorum asseclas, & adhuc vigere, concedant oportet ut unitas doctrinae a Scripturis de-

promptae

Digitized by Google

promptae obtineatur, standum Ecclesiae judicio. Haec repetit Augustinus *lib. 1. de nupt. cap. 20.* ubi assequi propositum Apostoli nititur 1. *Corinth.* III 11. & X. 17. ubi sibi non constare videtur, subiicit, *in hac veluti angustia quaestionis non aliquid novum, aut insolitum dicam, sed quod sanitas observat Ecclesiae.*

Affirmat postremo Pfeifferus, si Ecclesiae conferretur Dei gratia singularis ad interpretandas Scripturas, tunc dari necessario progressus in infinitum in huiusmodi gratiae elargitione. *Nisi enim*, sic argumentari pergit *ex ipsis Scripturae verbis liceret justa interpretandi via in cognitionem veri sensus pervenire, sed peculiari opus esset manifestatione quid intelligatur sub verbis patefaciente; sensum huius revelationis denuo declaratum alia revelatio praestolanda esset, quae sibi novam iterum praestrueret, nec ipsam sine priore quadam sufficientem; quod quidem sic progressui in infinitum viam sterneret, quo nihil deprehenditur a veritate alienius.* Id didicisse videtur a patre suo Luthero, qui *in lib. de servo arbitr.* ait: *In Scriptura quaedam abstrusa, & non exposita vulgatum est per impios sophistas, sed nunquam unum articulum prodere possunt, quo suam hanc insaniam probent. Item quid faciunt, quae praedicant? Alia nova declaratio. Quis illam declarabit? Ita fieret progressus in infinitum.* Neuter tamen huiusce propositionis aut potius deliramenti ne ullum quidem profert argumentum. Nos quoque unde hic progressus in infinitum oriatur prorsus ignoramus. Cum Christum affuturum tenere debeamus Ecclesiae, eiusque regimini per specialem interiorem gratiam, quae in illustratione etiam consistat ad hoc ut Ecclesia ipsa nequaquam in errorem labatur, profecto hoc lumen se extendat oportet ad Scripturarum interpretationem, ne ex uno textu praepostere ab ea explicato, atque ita communi fidelium caetui proposito,

tota

tota Ecclesia errorem complecteret, ex quo sequeretur Christum suae promissioni nequaquam stetisse, quod blasphemum est dicere. Certe gratia isthaec conceditur omnibus successive qui magistratum occupant, & sub hac ratione, quod minime absurdum est, dici potest hanc gratiae divinæ collationem progredi quodammodo in infinitum, idest usque ad finem mundi. Hoc unum addimus, per quod obiectio redit in ipsum Pfeifferum, infinitas fore hominum concertationes, sublato in Ecclesia infallibili magisterio, ut antea diximus; unde apposite s. Petrus 2. *Ep. I.* 19. instruit fideles ut legant quidem Scripturas, sed caveant ne proprio arbitratu eas exponant: *hoc primum*, inquit ille, *intelligentes*, *quod omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit*. Verum dicet aliquis, undenam scimus collatam a Deo esse hanc auctoritatem Ecclesiae magistratui quam propugnamus? In promptu habemus legitimam responsionem, nimirum ex gratia fidei, qua fit ut quilibet fidelium privatus non judicet de credendis, sed obediat; unde haec gratia non ad judicandum generatim confertur, sed ad obediendum. Ex gratiae dono illo, quo fit ut puer ignarus, indoctus adultus qui nedum Scripturas haud sciat, sed ne quemvis alium legere librum ob literarum seu linguae elementorum imperitiam, captivat intellectum in obsequium fidei, eiusque veritatibus ac mysteriis adhaeret; implicite etiam credit optimam ac infallibilem esse Scripturarum, quae haec complectuntur, magistratus Ecclesiae expositionem. Et licet ab aliis instruantur, hi tamen non ex fructu suarum meditationum, ut faciunt heterodoxi, sed ex mente, & juxta Ecclesiae praescriptum docent; alioquin qua ratione fieret ut firmiter crederent, quae nunquam intellexerint, sed certo scirent eos quod audiunt non parum in scientiis naturalibus falli posse, & multo magis in iis quae humanum captum

Digitized by Google

ptum excedunt. Si hoc modo fit progressus in infinitum, utinam fieret. Tunc enim omnes qui christiano nomine gloriantur, veri forent catholici, idest obedientes Ecclesiae.

Quae superius protulimus argumenta evidentissima sunt, nimirum sublato Ecclesiae magisterio scindi oportere Ecclesiam ipsam ac penitus aboleri; cui addi potest si in quolibet statu ne dissolvatur, esse oportere qui jubeant qui gubernent, & licet humana, singulari tamen cognitione ac prudentia praediti; ita debuisse Christum providere Ecclesiae suae, quae cum illius instituti sit hominem perducere ad finem naturam excedentem, necesse erat ut ab eodem non vulgarem ac naturalem, sed reciperet continenter coelestem prudentiam, ut in gubernio nequaquam deficeret. Haec clara sunt ut nihil magis, sed ab haereticis respuuntur, unde haec quaestio necessario resolvi debet in gratiam Dei. Ea etiam quae vulgo dicuntur credibilitatis motiva efficiunt simul conjuncta efficax argumentum, sed fidei non adhaerescunt nisi qui divinae gratiae auxilio vocantur. Invidiam etiam nobis parit Pfeifferus, quasi contentio nostra super infallibilem magistratum eo tendat ut *extollamus*, ut inquit ipse, *Romanum Pontificem*. Sed satis esset ut nobiscum conveniret de necessitate summi in Ecclesia magistratus. Tunc enim & ipse concederet Pontifici, quod Ecclesia in Synodo Florentina Spiritu Dei congregata eidem cum eodem Spiritu tribuit. Caeterum quotus quisque videt sane, semota etiam hac disputatione, quae ad rem nostram non pertinet, neutiquam infirmari propositionem quam propugnamus.

Demum innititur Pfeifferus testimonio Joannis V. 3. ubi Christus compellit judaeos ad scrutandas Scripturas per ea verba: *scrutamini Scripturas &c.* Verum ibi Christus judaeorum pervicaciam redarguit eo quod recusarent

rent optimam sequi ac securam interpretandi rationem quam si tenuissent, in Christo agnovissent Messiae qualitates. Haec autem ratio in eo sita erat, ut Mosis ac Seniorum, quibus portio divini Spiritus Mosi infusi, ut inquit Scriptura, a Deo conlata est, explicationi adhaererent. Hunc modum explicandi Scripturas eo praesertim tempore jam repudiaverant plerique judaeorum, & ob id solum legendam Scripturam existimaverant, quantum legis inserviret observantiae, nihil solliciti de inspiciendo in Scripturis ipso Christo tamquam Messia, cuius caracteres proculdubio referebat. Hinc dicendum potius eo loci Christum redarguere judaeos, quod interpretationibus a se ipsis excogitatis indulgerent, quam explicationi a maioribus receptae, sicuti & alibi fecit, ubi testatur eos errare ac nescire Scripturarum interpretationem, quemadmodum etiam id exprobravit Sadducaeis, qui concludebant post resurrectionem, si contingeret, homines se nuptui daturos. Subiecit siquidem in allato textu: *De me scripsit Moses*, unde concludendum judaeos licet assidue legerint Pentateuchum, tamen mentem Mosis assecuti non fuerint juxta antiquitus praemonstratas interpretationes, unde acutissime subdidit: *Si crederetis Mosi, crederetis forsitan & mihi*. Uno verbo non lectionem tantum Scripturarum, non earumdem vanas expositiones, sed intimam investigationem juxta Mosis Seniorumque doctrinam commendavit Christus, quae quidem illis etiam temporibus nota erat ut patet exemplo illorum, qui asseruerunt in Bethlehem Judae nasciturum Christum, & Pharisaeorum etiam qui sedebant super cathedram Mosis, quos auscultandos judicavit Christus. Unum dumtaxat superest diluendum dubium, qua ratione propugnetur a nobis infallibilitas Ecclesiae supremi magistratus circa Scripturarum interpretationem, cum omnia quae sunt necessaria ad salutem revelaverit Christus, & Apostolis innotuerint

rint, a quibus omnes instruimur; ex quo fit ut testimonia illa quae ad fidem stabiliendam pertinere possint, ab eodem vel ab Apostolis superno lumine collustratis sint diligentissime enucleata. Verum obiectio isthaec specie tenus non reapse difficultatem importat. Verissimum est quod ab Ecclesiae incunabulis creditum est, & in nostra aetate credi; sed observandum est etiam ab Ecclesiae initio hostes non defuisse, neque sequioribus saeculis neque deinceps defuturos. Quare ad illorum compescendam audaciam idem omnino supernum lumen præsidere Ecclesiae suae necessarium est in quovis temporis differentia. Non sit lumen novae revelationis, sed lumen & auxilium firmitatis, roboris, ac perfecti regiminis. Priusquam confirmaretur ab Ecclesia dogma illud de reali praesentia Christi in Eucharistia, antea quidem credebatur, sed insurgente haereticorum perfidia, qua varii errores circa hoc mysterium disseminabantur inter fideles, necesse fuit hanc veritatem distincte ac dilucide proponi fidelibus; proindeque cuicumque privato interpreti, si nunquam licuit contra Ecclesiae doctrinam, eo minus post definitionem illam licebit, Christi verba de Eucharistiae institutione alio sensu interpretari, quam realis praesentiae Christi corporis. Insuper ut eadem semper regiminis forma servetur in Ecclesia, necessum est ut totum fidei depositum in ea conservetur, quod quidem fieri nequit nisi diligenti ac peculiari adsistentia Spiritus Sancti, qui fit tamquam firmissimo adiutorio ut errores amoveat, & damnet, ac illibatam proponat veritatem sicuti ex ore Christi profluxerat. (*a*)

Ex

(*a*) Licet eorum quae spectant ad fidem nulla hodiedum detur revelatio, cum fides primorum christianorum sit eadem omnium,

Ex hac Pfeifferi refutatione consequitur neminem posse privatum interpretem textus Scripturae suae expositioni talem vindicare auctoritatem ut caeteri omnes eam adprobent incunctanter, & grande putent esse piaculum ab eadem recedere, sed infallibilem interpretationis auctoritatem a Deo proficisci, qui se super hac re etiam communicat, cui hoc lumen promisit, nempe supremo Ecclesiæ magistratui, atque ita fieri oportere, ne tota Ecclesia omnino intereat. Sequitur etiam obscuras pluribus in locis esse Scripturas, unde lectorem non immoramur, ut id demonstremus omnium ferme Patrum etiam vetustissimorum suffragio, quos commemorant hujus tuendae veritatis causa ii omnes qui praeloquia cuderunt & prolegomena in Scripturis. Tantummodo Augustini, & Hieronymi verba proferantur. Hic *super Ps. CXVIII.* inquit: *nisi aperta fuerint universa, quae*

---

attamen Deum quandoque nonnullis sanctis viris quaedam patefacere quae vel Ecclesiae vel reipublicae statum pertineant, aut fata etiam & circumstantias quorumdam hominum, sicuti nonnulla quae utilitatem respiciant illorum, negari nequit, Posse id efficere Deum explorata res est: quod autem nolit nemo idoneo argumento demonstrabit, cum non solum hanc suam voluntatem nullibi declaraverit, sed aliqua ratione ex Scripturis ipsis contrarium elici potest, ut exempli causa ex illo *Joelis* II. 28. 29. in quo licet verbum *prophetare* pro recte judicare, vel proferre veritatem, ac seligere etiam media ad propriam salutem in variis circumstantiis, sumi possit; attamen indicat inspirationem, & peculiare lumen. Hoc firmatur Matth. X. 19. 20. Marc. XIII. 11. aliisque in locis, ex quibus patet hoc donum non tantum res fidei complectisse, sed constantiam in fide aliasque virtutes, quae in multis florerent etiam post Apostolos, sicuti etiam futurorum praedictiones, quae in historia Ecclesiastica abunde occurrunt. Caute tamen huiusmodi revelationes excipiendae sunt.

quae ſcripta ſunt, ab eo qui habet clavem David; qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit, nullo modo alio reſerante claudetur. Auguſtinus vero *Ep.* 3. *ad Volus.* ait: *tanta eſt chriſtianarum profunditas literarum, ut in eis quotidie proficerem, ſi eas ſolas, ab ineunte pueritia uſque ad decrepitam ſenectutem maximo otio, ſummo ſtudio, meliore ingenio conarer addiſcere.* Quae ſubiicit valde notanda ſunt, nimirum *ea quae neceſſaria ſunt ſaluti idcirco non tanta difficultate involuta eſſe* ratione fidei, *ſed cum quiſque ibi* fidem *tenuerit, tam multa tamque multiplicibus myſteriorum umbraculis opaca intelligenda proficientibus reſtant, tantaque non ſolum in verbis, quibus iſta dicta ſunt, verum etiam in rebus, quae intelligendae ſunt, latet altitudo ſapientiae, ut annoſiſſimis, acutiſſimis, flagrantiſſimis cupiditate diſcendi hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet cum conſummaverit homo, tunc incipit.* Veritatem hanc licet non fateantur lutherani, tamen & ipſi ſaepe haerent, & difficultatem ſentiunt interpretationis, & ingenue praedicant. Tot verſiones ab ipſis concinnatae, tot commentaria compoſita varium ſaepe ſenſum referentia abunde commonſtrant, ſicuti & tractatus de rebus judaicis. Illud quoque valde opportunum cenſemus animadvertere ipſum lutheranorum patrem ac magiſtrum Lutherum ſaepe de ſumma difficultate interpretationis conqueſtum fuiſſe. In praefatione ad Pſalmos licet initio illorum perſpicuitatem commendet, inferius tamen haec ſubiungit: *Nolim ab ullo id de me praeſumi, quod nullus adhuc praeſtare potuit ſanctiſſimorum atque doctiſſimorum, ideſt Pſalterium in omnibus ſuo legitimo ſenſu intelligere, & docere.* Et paulo poſt: *Scio eſſe impudentiſſimae temeritatis eum qui audeat profiteri unum Scripturae librum a ſe in omnibus partibus intellectum.* Denique *lib.* 1. *contr. Zuingl. & Oeco-*

Oecolamp. in haec prorumpit, quae etiam originem confirmant quam supra constituimus, haereticorum pervicaciae in adsignanda humana dumtaxat ratione pro interpretationis principio, ac necessitatem iudicis infallibilis: *Fateri cogimur si diutius steterit mundus, iterum fore necessarium, propter diversas Scripturae interpretationes, quae nunc sunt, ut ad conservandam fidei unitatem, Conciliorum decreta recipiamus, atque ad ea confugiamus.* Tam luculentis Patriarchae sui testimoniis quid contra proferet Pfeifferus, qui §. 11. audacter pronunciat, *Lutherum veritatis evangelicae restauratorem sacri Codicis versione non minus, quam explicatione uberiori cum integrorum librorum, tum peculiarium textuum biblicorum interpretis sacri officio satisfecisse?* Videat ipse quid reponat. Nos interim ex ipsius Lutheri ingenua confessione, & plurium etiam ex illius asseclis, uti Brentii, Kemnitii, Centuriatorum *lib.* 2. *cap.* 4., & aliorum quos hic numerare longum esset, egregie confirmari delectamur, quod hactenus propugnavimus (*a*).

Unde

(*a*) Ioannes Franciscus Buddeus vir quidem omnium sententia acutissimus & valde eruditus, attamen, postquam *cap.* 2. *lib.* 1. *Theolog. Dogm.* more suorum Scripturam sacram recta methodo interpretatam pro unica fidei regula constituerit, §. 41. compendii sui a Valchio efformati, hanc destruit opinionem, dum ait: *initio sensus literalis nulla fere habebatur ratio, plerisque ad allegorias prolapsis, adeo ut tenebras potius Scripturae obfundere, quam lucem adferre viderentur.* Si enim haec refert, ut par est, ad Origenis tempora ac deinceps, consequitur veterem Ecclesiam, quam ipsemet etiam tanti facit, parum in Scripturarum cognitione valuisse, proindeque regulam illam valde implexam & obscuram fuisse ea aetate. Cumque cum suis etiam videatur asserere optimam interpretandi rationem servari dumtaxat apud Protestantes, ipse quoque cum reliquis Lutheri asseclis necesse est ut

Unde vero Scripturarum obscuritas repetenda sit, facili negotio colligitur. Pendet siquidem primo ex rerum sublimitate, quae in iis libris pertractantur, ac potissimum mysteriorum, quae intellectus humani vires omnino excedunt. Neque parum difficultatis reperitur in prædictionum intelligentia, quae plerumque non aperte traduntur, sed sub figuris, ac sermone quodam implexo enunciantur a Prophetis, quod ita a Deo provisum est, ut non innotescerent improbis, & solum opportuno tempore manifestarentur; vel etiam ut Prophetae odium sibi nequaquam conciliarent audientium. Multa quoque traduntur per metaphoras, allegorias, symbola, & aenigmata. Oritur quoque ex apparentibus contradictionibus, & antilogiis, quibus uni alter textus repugnare videtur, licet Scripturae mirifice inter se consentiant, quemadmodum primo comprobavit Augustinus *in libro de consensu Evangelist.* Denique ex peculiari dicendi genere de quo sermo erit sequenti capite, ubi plura quae ad hanc quaestionem pertinent, dilucide explanantur.

---

propugnet, mortuis Apostolis, Ecclesiam si non intercidisse, plurimum fuisse labefactatam, & nonnisi a Luthero ad pristinum nitorem rediisse, quod est contra Christi sententiam, qui quovis tempore usque ad saeculi consummationem suae Ecclesiae affuturum promisit.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XIII.

De Stylo, & Eloquentia divinarum Scripturarum.

TRactationem de stylo Scripturarum saepissime singulari praeterire non possumus, cum praeceptis iis omnibus quae complectitur, plura detegi certi simus, quae lucem admoveant illarum interpretationi. Hebraicus sermo nobis frequenter ambiguus redditur, cuius incertitudinem neque versiones semper tollunt. Tropi etiam occurrunt, qui propter vetustatem non satis sunt pervii, & phrases a sacris scriptoribus usurpantur ab hisce linguis, quibus assuevimus, valde alienae, sicuti & adagia nobis incognita, peregrinae similitudines, & translationes interdum etiam longe petitae, sicuti praeteritiones, reticentiae, ac orationis scissio quaedam; quae omnia a communi nostra loquendi scribendique ratione longissime distant. Hanc autem differentiam sese exprimendi nullatenus praebere occasionem aspernandi Scripturas patet amplissime ex earumdem instituto. Eloquia siquidem Dei non tantum ad christianorum utilitatem scriptis consignata sunt, sed etiam veterum hebraeorum. Cum autem non omnium sit aetatum, neque locorum eadem ratio sese explicandi, non adprobatae ac receptae eædem imagines ac similitudines; hinc fit permulta in sacris Libris apud veteres fuisse clara ac perspicua, quae apud nos obscuritate laborant. Necesse erat ut uni se attemperarent tempori sacri scriptores, & valde conveniens,

ut

Digitized by Google

ut ingenio & indoli nationis quae tunc floreret. Si rationem secuti fuissent in dicendo scribendoque, quae nunc viget, quamplures sententias, quae eorum intuitu etiam prolatae sunt, nequaquam intelligerent judaei. Ut brevi etiam se expedirent, & in audientium animis insculperentur quae dicebantur, & multo plura perciperentur, qnam enunciabantur, optimum fuit consilium uti proverbiis, parabolis, & idiotismis juxta eorum temporum consuetudinem. Tenebantur judaei libris Scripturarum continenter perlegere, unde non praeclusus esse debuerat aditus intelligentiae. Non desunt quoque in Scripturis ac potissimum in Prophetarum libris praedicationes, & obiurgationes, quas nedum auscultari, sed & intelligi oportebat. Mos quoque fuit apud orientales ea quae morum disciplinam spectant, non vulgari sermone effari, sed sublimiori stylo ac vi quadam proponere ad conciliandam dicenti auctoritatem, rebusque ipsis dignitatem & existimationem. Hinc Salomon in ethices tractatu per adagia ac sententias digessit opus, qua methodo factum est ut quamplurium solutio difficillima sit. Elegantiori quoque quam communis ferebat consuetudo, elocutione usi sunt interdum Prophetae, & non satis apertis cognitisque vocabulis & phrasibus, quod quidem materiei exposcebat sublimitas, & œconomia divinae providentiae, qua statutum fuit tempus ut eorum vaticinia quamplura innotescerent, quorum notitia tamen plus tribueretur fidei gratiae, quam humanae investigationi. Justo quoque Dei judicio factum est saepius, ut obduratis cordibus judaeorum, & obcaecatis mentibus veritates quæ ab ipsis proponebantur, neque menti affulgerent, ne probe intelligerentur, neque cordi alte imprimerentur, ne diligerentur. Hanc saepe fuisse divinam voluntatem testimonia multa ex ipsis Scripturis petita abunde confirmant. Quid prohibet etiam Deum aliquando voluisse,

ut poe-

ut poetica venustate ornarentur mirabilium operum Dei enarrationes, majestatis illius caeterorumque adtributorum descriptiones, ac praecipue opus illud quod omnipotentiam vehementer commendat, & in humanum genus amorem peculiarem, nimirum divini Verbi incarnationem. Ea siquidem ratione haec omnia excipiuntur jucundius, & altius memoriae defixa manent, & in se uberiorem rerum idearumque continent copiam, quae sub vulgari oratione nequaquam tam graviter ac subtiliter exhiberi possent. Poesis certe est propria ac naturalis humanorum adfectum loquela; cumque Scripturarum finis sit eosdem excitare ac dirigere in Deum, earum scriptores Deo afflante interdum poetica suavitate locuti sunt. Ex eo quod Moses duo elegantissima carmina composuerit, eruitur sane hunc loquendi modum non ignotum fuisse hebraeis, sed antiquitus etiam eodem fuisse delectatos.

Nec est cur improbetur stylus Scripturarum, eo quod non infrequenter nexus & ordo orationis discissus comparere videatur. Observandum sane est omnem divinorum librorum rationem in eo esse conlocatam, ut intellectui hominis affulgeat veritas ad mores componendos, quodcumque vitiorum genus damnetur, pravi animi compescantur adfectus, & voluntas ad summi Boni consecutionem alliciatur, uno verbo ut Christus & ea quae ad ipsum pertinent, exprimantur. Hinc factum est ut in historiis referantur tantummodo quae ad praefatum finem spectant; caetera vero omittantur quae inutilem potius eruditionem respicerent, quam officiorum institutionem. Unde profano homini & finis legis ignaro nexus abscissus videbitur orationis, non autem illi cui communis sacrorum scriptorum intentio perspecta sit. Commmendandi etiam Prophetae sunt qui interdum relicta historia, vel praedicatione, cui incumbere viderentur quodam

dam abrepti mentis excessu, seu potius Spiritus Dei impulsu ad remotissima se conferunt scitu dignissima, & vaticinia interponunt. Errant quoque, qui inutilia vident in Scripturis, & persequi interdum sacros scriptores blasphemant non quae maximi habeantur momenti, ut par esset, sed ignorare nullius foret detrimenti, quemadmodum Evangelistam, ubi loquitur de Petro & Joanne ad Christi sepulcrum properantibus, supervacanee tradere citius Petro in itinere cucurrisse Joannem. Huic vero narrationi similia reperiri in utroque Testamento. Animadvertendum siquidem est, auctores illos versari continuo in iis actionibus, & eventibus describendis eorumque circumstantiis, quæ licet in se parum momenti continere videantur, nihilominus vel certitudinem facti commonstrant, vel mysteria complectuntur, vel figuras exhibent, quae ad Christum referantur, quemadmodum apposite docet super allatum textum Gregorius Magnus. Luculentissimum etiam se prodit exemplum in historia Melchisedechi, cuius parentes & genealogia omnis omittuntur a Mose. Peccasse eum contra leges historiae nemo dixerit, qui audiat Apostolum Paulum haec jure merito omissa a Mose, ut sub hoc silentio reprehesentaretur Christi sacerdotium, eiusque differentia ab Aaronico, cuius successio fiebat per carnalem generationem. Tenenda utique est Apostoli sententia illa, videlicet omnia ab Adamo ad Mosem, & a Mose usque ad Christum contigisse & dicta fuisse *in figura*; sicuti etiam nonnulla in novo Testamento, præsertim ad Ecclesiae statum & spiritum indicitandum.

Optimo quoque consilio Moses paucis verbis sed satis perspicuis creationem omnium rerum, ordinem ac dispositionem expedit, & quatuor vicibus repetit ad imaginem Dei factum esse hominem; qua quidem cura sibi proposuit, ut praesens homini esset hoc beneficium, Deum nimirum plus contulisse homini quam caeteris animantibus

tibus. Verum si optimi rerum gestarum scriptoris munus esse constituatur cum Tullio *lib. 2. de Orat.* §. 15. ut in rebus magnis, memoriaque dignis, causae explicentur interdum, & consilia exponantur, hominumque ipsorum res gestae non solum tradantur, sed etiam qui fama ac nomine excellant, de cuiusque vita ac natura dicendum sit, haec diligentissime persequitur Moses. Facile est observare iis sese continere limitibus ut historiam pertexat illorum eventuum, quae ad veram religionem constabiliendam confirmandamque a fundamento sint, & ad manifestandum quae esse debeant hominis officia. Profecto ad hunc praestitutum finem magnopere tendit notitia creationis rerum omnium ex nihilo a summo Deo tamquam unico auctore, distinctionis conditoris a rebus conditis, aeternitatis Dei non autem creaturarum, quae initium habeant temporis, ac differentiae corporeae hominum substantiae ab ea, quam nominat *spiraculum vitae*, idest animam, quae non ex terrestri materia conflata est uti corpus, sed diversimode prodiit per peculiarem actum, & immediate ex virtute divina; unius hominis primae formationis, a quo caeteri omnes per generationem descenderent, eiusdem lapsus, quo inquinati nascerentur & posteri veluti membra capitis vulnerati, ac denique necessitatis ac promissionis divinae unius supremi Reparatoris. Praejacta harum rerum cognitione procul dubio pantheismi simul & atheismi evertuntur systemata, & omnis idololatriae species tollitur & superstitio. Si physici aliquid amplius desiderarent in eiusdem de opificio mundi tractatione, vellent etiam ut a praestituto fine discederet. Melius quidem erat ut metaphysicum instrueret quam physicum, qui tamen ab eodem habet ut obstupescat super Dei potentiam, & etiam ut nonnullas confirmet opiniones quae optimis physices institutionibus consentanea sunt. In

deſcribendis Patriarcharum generationibus ſæpe unius filii mentionem facit, circa caeteros vero tradit generatim viros illos procreaſſe filios & filias, quod non ſine ratione factum eſt. Etenim ſolicitus illorum generationem pertexere a quibus linea judaicæ gentis perducitur, & illorum potiſſimum a quibus Chriſtus originem traheret, caeteros ſilentio praeterivit utpote ab inſtituti sui ratione alienos. Et hæc eadem cauſa eſt cur brevi calamo perſtrinxerit nationum omnium propagationem in telluris ambitu poſt diluvium. In reliquis utitur ſane eo orationis genere fuſo, ac tracto quod res ipſa poſtulat, ſemper cum lenitate quadam æquabili, quam exigit natura, ac praecipue in cohortationibus, praeceptis, & monitis. Idipſum videre eſt in aliis Scripturarum libris, quemadmodum etiam in hiſtoriæ novi Teſtamenti ſacris ſcriptoribus. Quod attinet ad crebras excurſiones quae notantur in Paulinis epiſtolis, perperam improbantur cum revera a primario ſcopo Apoſtolus nunquam recedat, ſed ipſum tantiſper deſerit, ut objectioni manifeſtae occurrat, vel occupet tacitam, ut denuo rem propoſitam acrius perſequatur ſemotis difficultatibus, vel adiectis animadverſionibus, quæ magis veritatem confirment. Nec niſi ſumma iniuria pronunciari poteſt in ſacro Scripturarum textu vim argumentandi deeſſe, quaſi arena ſit ſine calce, quemadmodum de oratione Senecae dictum legimus a Nerone. Qui argumentorum locos omnes perſpectos habent tum a Moſe tum a reliquis ſcriptoribus uſurpatos videat neceſſe eſt, & innumera ab eiſdem pertractari acute ac ſubtiliter, ut egregium eſt illud Davidis argumentum: qui plantavit aurem non audiet, aut qui finxit oculum non conſiderat? Paulus etiam ſolidiſſima argumentatione hebræos convincit excellentiorem eſſe Chriſtum prae Angelis, eiuſque Sacerdotium longe eſſe Aaronico praeſtabilius, & neceſſario interi-

interituram aliquando fore legem, novumque foedus Deum cum hominibus initurum. Haec omnia assidue ac documentorum praesidio quae hactenus a nobis allata sunt, quaeque adiicientur, legentibus Scripturas perspicue innotescent. Addendum est etiam illam accurate ordinateque scribendi methodum, quam graeci lapsu temporis excoluerunt, adhuc non invaluisse apud orientales constat, sicuti etiam aetate Homeri apud graecos, in cuius opere permultae excursiones inveniuntur, unde Deus ipse qui per orientis indigenas locutus est, consuetudinem non immutavit loquendi illorum hominum. Neque enim per manus sanctorum scriptorum ad scribendum se contulit, ut scribendi rationem, cui assueti erant, corrigeret, sed ut mentem instrueret de veritatibus, quas scriptis mandari judicavit, ac voces eisdem suggereret, quae illas exprimerent juxta consilium suae voluntatis. Caeterum orationis ordo interruptus quandoque ac implexus apparet causa versionum, quarum verba vel obscura sunt, vel hebraicis non satis respondent. Non parva quoque oritur confusio ex diversa in versionibus ab hebraeo textu particularum, quae vel periodi membra, vel propositiones ipsas coniungunt, significatione; sicuti etiam ex grammaticali nominum acceptione, quae tamen prout sonant, accipi deberent. Postremi huiusce defectus plura suppetunt exempla, & praecipue in testimonio Isaiae VII 3. *Egredere, & qui derelictus est, Jasub filius tuus*. Nomen huius filii erat Sear-Jasub. In versione nostra vox Jasub retinetur, sed altera nimirum *Sear* exprimitur juxta grammaticalem significationem, unde ambiguus fit sermo, atque ignoratur quid sibi velit illud *: qui derelictus est*. In eodem Isaia XVI. 1. ubi urgentur Moabitarum calamitates, legitur: *Emitte agnum Domine dominatorem terrae*; quae quidem propositio cum reliqua oratione coniungi nequit. Congruit tamen

men in textu hebraeo, ubi scriptum est : *Mittite agnum dominatori terrae :* quo testimonio eos populos compellit Isaias ut agnorum tributa, prout moris erat, dominatori terrae eorum ad montem Sion transmittant. Quod vero spectat ad particulas ex cuius ignoratione ac non satis fideli translatione oriuntur apparentes incohaerentiæ, id contingit potissimum ex interpretatione particulae copulativae *vau*, quae solet transferri per *&* latinorum; sed uti notat Marcus Marinus *in Arca Noe*, ac reliqui omnes lexicographi, variis adverbiis latinis respondet, & assumitur ad significandum *sed*, *autem*, *aut*, *sic*, *quando*, *quare*, *tamen*, *tunc*, *quoniam*, *nunc*, *velut*, *quamvis*, quibus spectatis orationis sensus illustratur, & cum reliqua oratione connectitur (*a*).

Ex his omnibus quaedam animadversiones proficiscuntur, quæ tamquam regulae spectari possunt singulares ad obtinendam textus intelligentiam, & ad amplectendam vel repudi-

(a) Addunt nonnulli particulam *vau* copulatam adverbio *lò*, quod significat *non*, efformare adverbium interrogativum *nonne*? Hac ratione explicàtur illud Isaiae IX. 3. *multiplicasti gentem, & non magnificasti laetitiam*, ita ut sensus sit : *multiplicasti gentem, nonne magnificasti laetitiam ?* Atque ita recurrendum non est ad varias lectiones. Ibi solemne enunciatur ab Isaia vaticinium de multitudinis gentilium vocatione ad Christi sequelam & fidem. *Multiplicasti gentem*, idest vocabis multitudinem gentium sumpto praeterito pro futuro, ut moris est apud Prophetas ad indicandam facti certitudinem. Subdit deinde : *nonne ex hoc facto erit laetitia*? Utique magna. Quanta vero futura erit laetitia ex duplici & quidem vivida & egregia similitudine commonstrat. Tale etenim erit gaudium quale est tripudium inter agricolas ex segetum uberrima copia, & qualis est voluptas victoris exercitus in divisione abundantissimae praedae ab hostibus reportatae; & hic spectantur hebraei tamquam invidi hostes & acerrimi, sed profligati.

pudiandam interpretum opinionem. Si sermo sit de novo Test. ubi se produnt hebraici idiotismi juxta illorum vim et significationem, textus erit explicandus non secundum græcam, vel latinam linguam. Hinc oportet eos habere exploratos, ut distinguantur & explicentur. Quod autem dictum est circa auctores novi Test. eo magis religiose observandum circa opera veteris. Accedit etiam verba quæ in versionibus adhibentur, non semper proprio ac rigido sensu quem latine habent, accipienda sunt, sed sub significatione hebraici textus simul & contextus. In hebraica siquidem lingua in uno vocabulo plures continentur saepe numero significationes, quæ in aliena lingua propriis ac distinctis vocibus exponuntur. Verbum *nasà* in hebræo assumitur pro *ferre*, *sustinere*, *pati*, *elevare*, *attollere*, *alleviare*, quæ in latina lingua per haec verba specialia innuuntur. Idem dicendum de illis vocibus quae diminutionem important vel augmentum, seu minorem vim continent seu maiorem. Harum rerum nonnulla exempla ex Scripturis ipsis deprompta collegimus ubi disseritur de hebraica lingua. Sciat etiam oportet qui ad Scripturarum lectionem se confert ex peculiari idiotismo nonnulla orationis membra reticeri in orientalium sermone, & solum subintelligi. Hinc ab eo supplenda sunt, ut patet in illo Psalmi: *quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam*, ubi deest pars altera propositionis, nimirum: *si id fecerint*, *seu mihi rebelles fuerint*, non introituros judaeos illos qui ab Ægypto discesserant, in requiem terrae, quam promisi eis. Animadverti demum volumus quandoque Prophetarum oracula de rebus valde remotis annunciari vocibus, quae rem exhibeant tamquam praesentem, ut illud ex. c. Malach III. 1. *Ecce ego mitto Angelum meum*, & hoc haudquaquam scriptoris vitio adtribuendum. Etenim ut observat Tertullianus *lib. 3. adv. Marcion. cap.* 2. cum

huius-

huiusmodi locutiones a Deo proficiscantur, eo modo manifestantur quo apud eumdem reperiuntur, cui proprium est veluti factum completumque habere, quod semel absolute decreverit. Apud ipsum nulla est temporum differentia, sed omnia comprehenduntur in aeternitate uniformi semper, & nequaquam varietati subiecta. Huiusmodi etiam loquendi forma in vaticiniis erat eventuum luculentissimum certitudinis testimonium. Quod patet etiam in illo Isaiae VII. 14. *Ecce Virgo concipiet*, quod repetitum legimus ab Angelo Mariae loquenti apud Lucam, ubi particula *ecce* vim habet adverbii *nunc*, *modo* (*a*).

Huic

(*a*) Libeat hoc loco huiusmodi conceptionis mysterium beatae Virginis illustrare juxta quod tradunt Evangelistae. Comparuit Angelus Mariae postquam sponsalia inierat cum sancto Josepho, seu post matrimonium ratum quod comprobatur ex eo textu Matth. I. 18. *Cum esset desponsata mater Jesu Maria Joseph antequam convenirent inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*. Ei dixit Angelus, Luc. I. 31. *ecce concipies*, idest nunc concipies. Difficultatem quam proposuit beata Virgo se non cognovisse hominem, non eo perducendam quasi ante Angeli apparitionem non fuerit vere uxor sancti Iosephi, sed dumtaxat significasse se cum sponso suo rem non adhuc habuisse. Hoc autem clare etiam probatur; eo quod dicat Evangelista quod sanctus Ioseph noluerit eam *traducere* idest in domum suam. Sciendum est in morem positum fuisse apud hebraeos, puellas jam desponsatas per aliquod temporis spatium commorari oportere in paterna domo, quo elapso nonnullarum virginum comitatu accensas lampades in manu tenentium, & laudes canendo sponsæ, in domum viri sui se transferebant, quam caeremoniam indicavit Christus in parabola de virginibus fatuis & sapientibus. In eo itaque temporis intervallo, quo degebat virgo apud patrem suum, patefactum illi est consilium Dei, quae dato consensu per illa verba *fiat*, statim concepit, & facta est mater Dei. Huic explicationi non obstat votum virginitatis quod emiserit Virgo. Nam, ut inquit S. Thomas, si vovit, illius votum fuit conditionatum, si nem-

Digitized by Google

Huic loco apponendas censuimus phrases nonnullas, & idiotismos Scripturarum peculiares, quibus cognitis magis patet aditus earum intelligentiae. *Accingere lumbos* valet pro aliquid expedite agere juxta illud Job. XL. 2. *accinge sicut vir lumbos tuos*, idest esto expeditus. *Ambulare cum aliquo* est eius facere voluntatem. *Animam in manibus habere* vel *ponere* id est ac esse in discrimine vitae. Sic Psalm. CXVIII. *Anima mea in manibus meis semper*, hoc est vita mea est in continuo discrimine ac si gestarem in manibus, periculisque obiicerem. *Aperire aurem* est revelare. *Avertere faciem alicuius* idem valet ac postulata negare. E contra postulatis obsequi. Sic 3 Reg. II. 20. *Neque enim fas est ut avertam faciem tuam*, idest ut negem tibi quod postulasti. *Benedicere* significat inter homines precari bonum; relate ad Deum est eum laudare iuxta illud Ps. CII. *Benedic anima mea Domino*. Ex parte Dei significat benefacere, adprobare, & confirmare creaturas in eo statu in quo ab ipso positae sunt. Sic Genes. I. 28 *& benedixit eis*. *benedictionem accipere* est etiam *accipere donum*. Sic 1. Reg. XXV. 27. XXX. 26. *Dare fœminam in sinu* est dare in uxorem. *Demere posteriora alicuius* est delere filios atque nepotes, uti 3. Reg. XVI. 3. *ego*

---

nempe non fuerit in iis circumstantiis a Deo volitis, in quibus nubere debuisset juxta praescriptum legis. De receptione in domum S. Ioseph, non vero de ſermando coniugio intelligenda sunt verba Angeli apud Matthaeum I. 20. *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam* Ex verborum syntaxi patet iam illi fuisse coniugem, licet adhuc intactam, & vere virginem. Aliter dixisset sicuidem *in coniugem*, quemadmodum dicitur de sancto Ioanne Evangelista, qui beatam Virginem *accepit in sua* idest accepit tamquam in matrem, *Joann.* XIX. 27.

ego demetam posteriora Biasa, & posteriora domus eius. *Deum esse cum aliquo* est Deum alicui juvare, ut illud: *fuit autem Dominus cum Joseph* Gen. XXXIX. 21. *Ædificare domum* est dare prolem & posteritatem, ut in Exod. I. 21. quia timuerunt *obstetrices Deum aedificavit eis domos*. *Esse alicui in oculum* est eum dirigere. *Esse alicui in odorem bonum* est esse alicui gratum, ut Paulus 2. *Cor.* II. 15. *Christi bonus odor sumus*. *Esse intra portas* alicuius est habitare cum eo intra moenia urbis. Sic Exod. XX. 10. *Facere misericordiam* est facere bonum ad quod quis non tenetur Genes. XXIV. 49 *Facere contra animam* est eam decipere impunitatem sibi pollicendo, ut Exod. V. 21. *Fieri in Satan* est alicui adversari. Sic 2. Reg. XIX. 22. *Filius areae* est triticum. *Filius mortis* est reus vel propinquus morti. *Illuminare vultum suum* super aliquem est ei faciem hilarem ostendere. *Implere usque ad os* est implere a porta usque ad portam urbis, cui porta est veluti os. Sic 4. Reg. XXI. 16. *donec impleret Jerusalem usque ad os*. *Incircumcisis labiis* est habere labia crassa Exod. VI. 12. *Invenire iniquitatem alicuius* est punire. *Levare manum ad Dominum* est jurare. Sic Genes. XIV. 22. inquit Abraham: *levo manum meam ad Dominum meum excelsum*. *Mingens ad parietem* idem est ac masculus 1. *Reg.* XXV. 22. 34. *Movere caput suum* est admirari & condolere *Jer.* XVIII. 16. *Movere caput post aliquem* est deridere illum Is. XXXVII. 22. *Onus* apud Prophetas est vaticinium onerosum seu alicuius certae punitionis, vel minae. *Pater* in Scripturis saepe ponitur pro eo qui excellat in arte, vel alicuius rei inventore. *Percutere cor* est habere conscientiae stimulum 1. Reg. XXIV. 6. *Praebere gladium alicui* est praebere causam saeviendi. Sic Exodi V. 21. *Ponere cor super aliquem* est illum considerare, vel illius curam gerere ut Job. VII. 17. *ut quid apponis erga eum cor tuum? Ponere*
oculos

oculos ſuper aliquem est etiam eum diligere, Genes. XXIV. 21. *Sanctificare aliquem* est etiam pro segregare ab immunditiis, & purgare sicuti & addictum esse alicui operi. *Sanguis eius esse super aliquem* est constituere aliquem mortis alicujus reum. Sic Levit. XX. 9. & Matth. XXVII. 25. *Suscipere faciem alicuius* est precibus acquiescere illius, seu eum benigne admittere, & honorare. *Suscitare verbum* est promissum implere. Sic 2. Reg. VII. 25. *Verbum quod locutus es suscita in sempiternum*. *Sanctificare jejunium* est purgari a peccatis, ut Joelis II. 15. *Vir sanguinum* est homicida. *Vir Belial* est recalcitrans & inobediens. Sic 2. Reg. XVI. 7. Quamplura etiam tam troporum quam figurarum schemata collegit Ven. Beda, quae longum esset enumerare. Nonnulla hic addere iuverit, ex quibus nonnullae diluuntur in variis textibus difficultates. Multa dicuntur in Scripturis per anchistiam per quam vox aliqua ad omnes alias cognatas & connexas significationes extenditur. Sic aliqua verba quae indicant actiones intellectus transferuntur ad voluntatem. Exempli ergo *nescire* est non amare. *Silere a bonis* est ipsis carere, non frui. *Cognoscere hominem* valet etiam pro probare. Illud quoque explicatur Isaiae XIX. 7. erit terra Juda Ægypto *in pavorem*. Hebraice dicitur in *chagà*, idest in festivitatem, sumpto hoc nomine pro iis quae fieri solebant in festis, uti circumgirationes in choreis. Ibi itaque innuuntur quidam motus irregulares quibus se dabant in festis postquam se inebriaverant, ita ut sic vertiginosi in gyrum agebantur, & inde oriebatur cadendi pavor. Per eamdem figuram ponitur adfectus pro adfectu. Sic in Ps. IV. 5. *irascimini*, idest commoveamini, nimirum a veritate superius allata Deum illi adiuturum. *Furor* quoque sumitur aliquando pro dolore, vel qualibet passione quae vehementer hominem exagitet. Sic *vanitas* etiam pro fraude

V & do-

& dolo. Dantur etiam voces polysemae quae plures continent significationes. Vox *favilla* sumitur pro fumo, gluma, stipa, putredine, quisquilia. *Excelsum* pro coelo, vel templo, quo nihil altius, nil praestantius. Vox etiam *fortitudo* pro facultate, vigore, viribus, gloria, decore. Vox *spiritus* significat ventum, & quamlibet aeris commotionem, respirationem, locutionem, sicuti & odorem. Pariter Angelum, divinam inspirationem, virtutem interiorem, robur acceptum a Deo, & Prophetiam.

Observandae sunt etiam phrases georgicae, pastoritiae, convivales, militares, agrariae, rusticae, vindemiales, vestiariae. Sic intelligitur illud cantici Ezechiae Is. XXXVIII. 12. *Generatio mea ablata est & convoluta est quasi tabernaculum pastorum;* in quo innuitur migratio e vita sumpta similitudine ex discessu pastorum ex aliquo loco, qui demoliuntur tentorium seu tabernaculum suum involutis linteaminibus quibus tegitur. *Habere clavos fixos, & paxillos innotos* significat vitam quietam & tranquillam agere. Sic Is. XXII. 23. *figam illum paxillum in loco fideli*, hoc est expellam Sobnam de statione sua, & de custodia thesauri Sanctuarii, & substituam firmiter Eliachim. *Suscitari tabernaculum David* quod corruit, nihil aliud est quam restitui domum David splendori suo, quod promittitur in adventu Messiæ. *Taurus pinguis* est homo dives, vel robustus. Pingues tauros possidebant hebraei in regione Basanaea. *Sorech* ponitur pro vite, cum eo loci vites succrescerent praetiosae sine acinis. *Vinea plantata in cornu filii olei*, idest in loco elevato & pingui. Per vineam etiam intelligitur propagatio familiae, prosperitas, & tranquillitas. Sic *vineam de Ægypto transtulisti* est populum hebraeum ex Ægypto transferre. *Habitare sub ficu & vite sua* indicat pacem, & tranquillitatem. Velamen muliebre est signum

gnum potestatis viri in mulierem, unde Apostolus inquit 1. Cor. XI. 10. *Mulier debet gestare potestatem*. Traditio calceamenti erat signum emptionis & venditionis, unde intelligitur textus ille Ps. LIX. 10. *in Idumaeam extendam calceamentum meum*, idest occupabo, & jure dominii possidebo. Sic & Amos II. Apud orientales in conviviis destinari solebat calix peculiaris unicuique discumbentium. Hinc calix afflictionis, consolationis. Effectus enim qui producuntur in corpore ex vino vel malo, vel bono traducuntur ad spiritum. Ex lucernis & lampadibus factae sunt peculiares phrases, cum usus lucernarum & lampadum obtinuerit in omnibus festis cum hilaritate coniunctis. Sic *alicui lucernam accendere* est felicem reddere. *Extingui lucernam* est prolabi in exitium. *Non extinguetur in nocte lucerna eius*, hoc est illius prosperitates non turbabuntur infortuniis. *Non extinguetur lucerna Israel*, idest bonum foecunditatis, & propagationis. *Tu illuminas lucernam meam*, idest statum meum foelicem & splendidum reddis. *Emitte lucem*, idest opem benevolam da. Per antistrophen invertitur ordo actionum, ut in illo: *attollite portas principes vestras*, Ps. XXIII. 7. 9., idest, o portae attollite capita vestra, seu aperimini. Pariter *in potentatibus dexterae eius*, idest in potentatibus dexterae, seu in potenti dextera salus & victoria. Si omnia peculiarium loquendi formularum exempla exponeremus, longius excurreret oratio. Quare haec satis sunt. Vide Apparatum Ariae Montani ad Biblia Hispanica, quem supra citavimus, Leusdenium *in philolog. hebr.*, *& hebr. mixto*, A Turre, Bezange, & alios, uti clariss. Xaverium Matthaeium *in Psalmor. expositione*, de qua, ubi sermo erit de Interpretibus, pauca proferentur.

Ex animadversionibus hactenus circa Scripturarum stylum propositis arguendum sane est non incultam & impolitam

politam

Digitized by Google

politam haberi illarum elocutionem, sicuti ethnici antiquitus dictitabant; prout tradunt Arnobius *lib.* 1. *Apolog. adv. gentes*, Lactantius *lib.* 3. *de falsa sap. cap.* 1., Origenes *contra Celsum*, & Clemens Alex. *in cohort. ad gentes*. Illis succenturiari non erubescunt novissimi qui sibi blandiuntur bonam philosophiam sectari, sed revera communis sensus principiis adversantur. Omittendum principio non est, ut animadvertit Thomas Stakousius *vol.* 1. *tract. Theol.* quemadmodum nihil prodesse homini ut medicorum praescripta Tullianam orationem redoleant, & cuiuslibet etiam tabellarii instrumenta; eadem ratione nequaquam opus esse ut quae ad illustrandum hominis intellectum, ac coercendos pravi animi adfectus, & dirigendam ad summum bonum voluntatem, conscripserit Deus, humanae eloquentiae lenocinio exornentur. Ad haec cum adhaereamus Scripturarum veritati non propter persuasibilia humanae sapientiae verba, sed ob fidei gratiae infusionem, non peculiari artificio conscriptas esse oportet Scripturas. Verum cum summa eloquentiae vi delectentur homines, & quae ornate copioseque traduntur, facilius & voluptate quadam auscultari contingat, huic hominum infirmitati indulgent Scripturae, & illud loquendi genus, prout exposcit ratio omnis, usurpant, quod breviter modo ostendemus.

Ac primo observandum est eloquentiam constitui potissimum in sententiarum gravitate quam in lepore quodam verborum, qui elegantiae nomine usuvenit, quae in proprietate ac puritate sermonis continetur. Huc referri possunt quae inquit Cicero *de gen. opt. Orat.*: *non quaerimus quid sit attice, sed quid sit optime dicere*. Quare neglecta etiam attica venustate adhuc esse poterit optimus sermo. Praeterea non sub eadem ratione adhibenda est eloquentia in foro, in academia, & coram doctis viris, quam in rudium & insipientium coetu, qui caete-

cæteros numero excedunt. Illiteratis siquidem diserte loqui possumus, sed cavendum ne capti verborum luxurie, & artificioso orationis ambitu, sententiarum pondus assequi nequeant. Variis quoque modis se attemperat eloquentia in historiae narratione, quam in poetica elocutione, sicuti & in exprimendis, quae ad morum disciplinam pertinent, documentis. Hinc generatim ille vere eloquens erit, qui apte & ad eum finem, quem sibi præstituerit, ad loquendum se comparat aut ad scribendum, spectatis locorum circumstantiis, & temporis, & personarum. Hisce positis graviter ac sapienter ubilibet loqui Scripturas explorata res est. Praeclare in hac causa judicavit Augustinus *lib. 4. de Doctr. Christ.* hisce verbis: *Ubi scriptores sacros intelligo non solum nihil eis sapientius, verum etiam nihil eloquentius mihi videri potest; & audeo dicere, omnes recte intelligunt, quod illi loquuntur, simul intelligere, non eos aliter loqui debuisse. Sicut est enim quaedam eloquentia, quae magis aetatem iuvenilem decet, quae senilem, nec jam dicenda est eloquentia, si personae non congruat eloquentis; ita est quaedam, quae viros summa auctoritate dignissimos, planeque divinos decet. Hac illa loquuti sunt, nec ipsos deces alia, nec alios ipsa: ipsis enim congruit, alios autem, quanto videtur humilior, tanto altius non ventositate, sed soliditate transcendit. Ubi vero non eos intelligo, minus quidem mihi apparet eorum eloquentia, sed eam tamen non dubito esse talem, qualis est ubi intelligo. Ipsa quoque obscuritas divinorum, salubriumque dictorum tali eloquentiæ miscenda fuerat, in qua proficere noster intellectus non solum inventione, verum etiam exercitatione deberet*. Idipsum paucioribus verbis perstrinxerat Apostolus *ad Hebr.* IV. 12. per ea verba: *vivus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti*. Sed propius accedamus ad id demonstrandum

dum ex ipsis Scripturarum variis operibus. Aristoteles *Rhetor. lib.* 1. *cap* 2. eloquentiam constituit late sumptam in persuadendi facultate, quod repetit Cicero, sed modum etiam exponit, quo suasio omnis obtineatur, instructione nimirum, delectatione, & commotione. Ambigendi autem locus non est historicam Mosis narrationem stylo simplici ac naturali hebraicae linguae, ut historiam decet, esse exaratam cum sublimitate quaquam ac maiestate coniuncto. Hanc veritatem pauca illa verba: *in principio creavit Deus coelum & terram*, luculenter, uti etiam supra monuimus, demonstrant. In iis quilibet hominum de rerum omnium origine instruitur, sed insuper in eis tanta doctrinae copia continetur aeque ac si auctor longissima oratione usus esset. Doctis siquidem hominibus ex brevi illa propositione clare innotescit, tradi ab ipso Mose, solum Deum a nullo esse principio, creaturas vero omnes, nulla excepta, ab eo unice derivare, sed non ita tamen quasi ab eo profluxerint per quamdam emanationem, sed ita per creationem, ut antea de illarum substantia nihil omnino extiterit. Hinc infinitam prorsus esse virtutem, quod idem est eum esse undequaque perfectissimum, proindeque omnium rerum, quae dicuntur perfectiones divinae neutiquam aequiparari posse, sed ab ea remotissime se teneri. Quod vero spectat ad hominem ipsum, ab huiusmodi quoque creationis veritate illius principia omnia moralia penitus dimanare. Haec inquam qui sedulo animadvertat, dabit utique complectisse Mosem in brevi historia opificii mundi. Cassii Longini stuporem super ea verba: *fiat lux, & facta est lux*, reprehendere ii possunt dumtaxat, qui nedum in Scripturarum meditatione versari nunquam consueverunt, sed in rebus physicis etiam eos peregrinari contigerit. Quandoquidem spectatis omnibus lucis proprietatibus eiusque in rerum natura multiplici usu, si

haec

haec substantia, prout eam contemplamur, ita comparata, voci creatoris fideliter respondeat, & incunctanter obsecundetur, portentum erit; sed insimul admiratione etiam dignus erit historicus, qui licet breviter, feliciter tamen illud ipsum portentum expresserit. Qua etiam ratione executionis promptitudo indicitatur, & tota vis artificis summi & potentia manifestatur, ut neque absit quidquam neque supersit. Haec quoque se produnt in tota scribendi consuetudine Mosis, & ubi ad legis observantiam peculiariter excitat judaeos, quae dilatanda erant, artificiose amplificat & auget, quae brevi calamo proponenda perstringit, & ubique opportunis gravibusque vocibus, ac necessario sententiarum pondere utitur continuo, proindeque suis apte locis lenitas orationis enitet, acumen & vis, ut nil ultra desideres. Sed repetendum haec animo habere notata non poterit nisi qui diu multumque in illius operum lectione immoretur. Numquam deficerem si profundissimas ac dignitate plenas & utilitate sententias commemorarem ex Psalmis mutuatas, ex libris Sapientialibus, & ex Prophetarum concionibus, & vaticiniis.

Venustatem quoque ac sermonis leporem, quo eloquentiae vis maxime augetur, non deesse in Scripturis ex innumeris pene tropis, ac figuris, de quibus paulo ante mentionem fecimus, abunde constat. Verbis etiam usitatis, ac proprie demonstrantibus ea quae significari ac declarari voluerunt sacri scriptores omnes qui in scribendo Mosi successerant, usi sunt, ut nihil deficeret, nil redundaret, relinquentes interim eam elegantiae speciem, quam Tullius vocat puerilem. Accurate ab ipsis traduntur historiæ, & eo perducuntur, quo divini altitudo consilii præscripserit, se ubique probos, ut convenit historico viro, ostendendo & ingenuos. Omne instructionum genus aptissimis verbis concluditur, & distincte

Digitized by Google

stincte, explicate, abundanter, illuminate & rebus, & verbis dicuntur quæ spectent hominum officia. Descriptiones quoque, similitudines, & comparationes a natura sæpissime proficiscuntur iis quæ coloribus illustratae comparent, ut rem graphice commonstrent, atque depingant. Si propugnes permultas reperiri quae a natura abhorreant, tribuas oportet ingenio & indoli orientalium, qui eisdem vehementer delectabantur. Cumque memoria tenendum sit, quod supra diximus, non pro nostrorum temporum tantum sed etiam pro suæ aetatis hominibus conscripsisse, oportuit quoque ut ea translata non negligerent omnino, quae tunc aptissima videbantur, & egregia; ut delectatione quadam raperentur auditores, ut orator nequaquam minutus haberetur & languidus, & ut veritates quae proponebantur, eo luminum ac figuratum apparatu exornatae, atque distinctae in omnium existimationem adducerentur. Isaias, qui procul dubio prae caeteris grandius dicendi genus usurpat & illustrius, hominis industriam sibi conflantis idolum ita describit, ac rem totam sententiis illustrat, ut licet quid simile in Horatio occurrat, minus tamen ornate, minus copiose ac subtiliter. *Plastae*, inquit ille, *idoli omnes nihil sunt, & amantissima eorum non proderunt eis, ipsi sunt testes eorum, quia non vident, neque intelligunt, ut confundantur. Quis formavit deum, & sculptile conflavit ad nihil utile? Faber ferrarius lima operatus est: in prunis & in malleis formavit illud, & operatus est in brachio fortitudinis suae: esuriet & deficiet, non bibet aquam & lassescet. Artifex lignarius extendit normam, formavit illud in runcina; fecit illud in angularibus & in circino tornavit illud; & fecit imaginem viri, quasi speciosum hominem habitantem in domo. Succidit cedros, tulit ilicem, & quercum, quae steterat inter ligna saltus, plantavit pinum, quam pluvia nutrivit.*

Et

Et facta est hominibus in focum; sumpsit ex eis, & calefactus est: succendit & coxit panem: de reliquo autem operatus est Deum, & adoravit; fecit sculptile, & curvatus est ante illud. Medium eius combussit igni, & de medio eius carnes comedit, coxit pulmentum, & saturatus est, & calefactus est, & dixit: vah, calefactus sum, vidi focum. Reliquum eius Deum fecit, & sculptile sibi; curvatur ante illud, & adorat illud, & obsecrat dicens: libera me quia Deus meus es tu. Is. XLIV. 9. seqq.. Huiusmodi descriptio latini sermonis reddita indoli ac naturae, sublatis nimirum repetitionibus, quae in more sunt hebraicae linguae, & adiectis aliquibus membris, quae hebraice omitti solent, & adhibitis vocibus illis, quae primaevis auctoris tam energicis respondeant, inter celebriores utique locum obtinebit. Non minori eloquentiae vi orationem concludit aiendo: quam stupidi, quam dementes? Qui fieri potest ut nequaquam videant quod obversatur eorum oculis, & corde tenent? Non recogitant neque sentiunt dimidiam partem idoli traditam igni, & per eam coctos fuisse cibos? Dicant igitur trunco, genua flectimus, cuius pars in cinerem resoluta est, & concludat oportet artifex ille mendax, numen conflavit dextera mea, neque umquam mihi praesidio esse poterit. Nil quoque politius nil magnificentius excogitari potest, quam quod ab eodem Isaia IX. exponitur circa Christi nativitatem, ubi orationi finem imponit eo dicto: *zelus* (amor ferventissimus) *Domini exercituum faciet hoc*. Mosis, ac Davidis carmina caeterorumque, ac praecipue Annae, Habacuc, ipsius Isaiae, & Ezechielis ad animi commotionem excitandam aptissima sunt, sicuti & elegiacum Ieremiae carmen; quorum omnium poemata, quae graeci latinique nobis tradiderunt, longe antecedunt. Legatur canticum Mosis *Cantemus Domino &c.* juxta eloquentiae canones expla-

 natum

natum a Rollinio in libro *de institut. humanior. literar. tom.* 2. Egregii militis in certamine subeundo fortitudinem ac triumphum repraesentat Isaias LXII. ubi omnia reperies quae ad eloquentiae perfectionem spectant. Cumulatus etiam orator est Paulus, ubi loquitur vel ad flectendum Felicis animum, vel ad adstruenda hebraeis Christi dignitatem, adtributa, & officia, ac praesertim cum Athenis pertractat de unitate, immensitate, & gloria veri Dei, & ubi exponit quantum insudarit in Evangelii propagatione. Certe ex Scripturarum translationibus quæ circumferuntur multum deperdi venustatis & eloquentiae diffitendum non est, cum ut plurimum, iusta tamen de causa, serviliter literae insistant. Valde admiranda sunt verba illa quae leguntur sub initio cantici Habacuc, sed abiectissima apparent sub Vulgato nostro ubi legitur: *Domine audivi auditionem tuam, & timui.* In hebraeo verbum quod latine redditur *auditionem*, significat *famam*, & *gloriam*, unde sensus sic se habet: Perlatis ad me gestis tuis, obstupui. Gesta autem sunt prodigia manu Mosis patrata in Ægypto, & in itinere Israelitarum per desertum, sicuti & statio solis, & congestae adinstar montis Jordanis aquae. Verumtamen ex huiusmodi translationum defectu colligitur tantummodo, Scripturarum studio assidue incumbendum, & media esse comparanda quae ad illarum intelligentiam viam sternunt, ut earumdem præstantia nobis innotescat, & in diiudicanda, qua utuntur, elocutione idonei simus. Legatur Rollinius *loc. cit.*, qui de Scripturarum eloquentia egregie disserit.

CA-

CAPUT XIV.

De Munere Interpretis.

HOc loco Interpretis nomine non ii soli efferuntur, qui commentaria & animadversiones super Scripturas ediderint, sed veniunt etiam illi omnes, qui alicuius textus intelligentiam exquirunt, ut saepe contingit post Theologos, sacrosque Oratores, quibus solemne est sententias suas munire sacrorum librorum confirmatione, Jurisperitis etiam, atque illis praecipue qui Ecclesiasticae jurisprudentiae dant operam, ac caeteris omnibus, quiquid sibi velit, & quo tendat sacer scriptor, eruere cupiunt; quemadmodum etiam inter varias interpretum opiniones, quae sit eligenda, tuto ac sine dubitatione decernere. Praeter illarum rerum notitiam, quas superius tradidimus, veterum hebraeorum historias habeat exploratas necesse est, quicumque difficiliora loca suscipit explananda, cum sæpe fiat aliquam historiae partem indicitare sacros scriptores, ac praesertim Psalmorum auctorem, omnesque in suis operibus Prophetas, ut in illo Isaiae IX. 4. *sicut in die Madian*, ubi fit mentio caedis Madianitarum, qui ab hebraeis duce Gedeone devicti, profligatique sunt. Neque solius judaicae gentis monumenta præsto esse debent, verum & finitimarum nationum, uti Ægyptiorum, Chaldaeorum, Persarum, Syrorum, Chananæorumque, qui pro diversitate locorum variis nominibus appellantur etiam a sanctis Scripturis. Studioso juveni utram-

utramque historiae partem suppeditat Nátalis Alexander in limine dissertationum, & sub ea utique methodo, quæ interpreti necessaria est, quemadmodum etiam celebris Anglorum universalis historia. His adiungi potest Joannes Franc. Buddeus, cuius historia dignissima est, repudiatis tamen quae ad suae sectae patrocinium interiacent, ut perlegatur; ubi rerum omnium judaicarum notitia uberrime exponitur & eleganter, sicuti & reliquarum nationum, quibuscum hebraei aliqua ratione usi sunt. In ea etiam celebriores notantur scriptores, quos hic referre longum esset, qui de rebus quibuscumque hebraicis disseruerunt. Neque vero solum harum gentium gesta omnia comperta esse debent, sed mores etiam, consuetudines, opiniones, instituta, ritus tam sacrarum rerum, quam civilium, productiones ac natura asiatici soli; uno verbo monumenta orientalium omnia, ac potissimum judaeorum, ita ut innotescat priscus illorum status tum ecclesiasticus, tum politicus, tum œconomicus. Ex notitia siquidem totius Ecclesiae judaicae, uti de Tabernaculo, de Templo, de excelsis, de lucis, de Synagogis, de sacris Ministris, de Sacrificiis, de oblationibus, de votis, de precibus, de musica, de festis, de ordine cultus in quolibet festo, ac de eiusdem cultus pro eo tempore convenientia, ac de imperfectione respectu aliorum temporum, simul & abrogationis necessitate, multa eliciuntur, quæ facem praeferunt ad assequendam sacrorum scriptorum mentem; quemadmodum etiam idem obtinetur praesupposita cognitione situs terrae Israelis, ac primum Jerosolimae, ministerii Judicum, & Regum, Dicasteriorum seu Synedriorum, judiciorum, poenarum. Qod etiam traditur de vectigalibus, tributis, temporibus, mensuris, nummis, de foederibus, contractibus, de militibus & armis, de bello, triumphis, atque de omni veterum tactica, plurium textuum explicationi inser-

inservit. Status quoque oeconomici notitia plurimum confert, uti quod habetur de matrimonio, de jure Leviratus, de divortiis, de liberorum educatione, de servis, de aedibus, de vestitu, de cibo & potu, de vita privata, & mutuis officiis, de studiis & artibus, de mercatura, de agrorum cultu, de re pecuaria, de morbis, de sepultura, & funere. Intelligitur sane illud *Ps. LXXVII. in funiculo distributionis*, si attendatur veterum usus partiendi terras tractis quibusdam funiculis. Sic & illud *Ps. CXXVI. non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta*, & alterum *Prov. XXXI. nobilis in portis vir eius*, illudque *Genes. XXIV. possideat semen tuum portas inimicorum suorum*, si animadvertatur antiquitus erecta fuisse tribunalia prope portas civitatum. Hospitibus ablui detergique pedes, & benevolentiae signum praestari consueverat per oscula. Hinc palam fit cur Christus Pharisaeum reprehendere potuerit, quod ei aquam non paraverit ad lavandos pedes, neque osculo eum salutarit. Occurrunt saepissime huius generis in Scripturis exempla. Hinc errant vehementer qui interpretum illorum explanationes inscite repudiant, qui ex historia veterum difficultates interdum, quas praeseferunt sacri textus, componunt, & illis adhaerere student, qui in expositionibus proponendis ingenio dumtaxat suo indulgent, vel aliorum obsequuntur auctoritati, licet absolute propositae difficultati minime applicetur commoda enodatio. Hi enim ex eo plerumque decipiuntur, quod, cum Scripturarum libri divinitus conscripti sint, putent etiam humanam non usurpasse scribendi consuetudinem; & piaculum fore eam multoties in interpretando methodum adhibere, quae in graecis, romanisque auctoribus explicandis necessaria est bono interpreti, quod plane falsum est. Haec omnia complecti animo nequeunt illi omnes aliis curis distenti, sed in exquirenda

alicuius

alicuius textus vera ac genuina sententia satis erit, si probe teneatur haec media contemnenda non esse, & animadvertatur sedulo, utrum commodius per ea exponendus sit textus, vel aliter. Posito enim quod & erudite scripserint viri sancti, licet suspicari plura ab eisdem proferri, quae absque opportuna eruditione intelligi nequeant.

Permulti sunt qui de triplici illo judaeorum statu disseruerunt, inter quos primum obtinet locum Carolus Sigonius *in lib. de rep. judaeor.*, quem imitati sunt Petrus Cunaeus, & qui eum prosequitur Guill. Goere, Corn. Bonav. Bertramus, & alii. Omnibus tamen anteferendus est Melchior Leideccherus, qui de hebraeorum republica luculenter copioseque pertractat. Utinam eximium hoc opus sui Calvini erroribus non foedasset. Legi etiam possunt post Thomae Goodvini egregium opusculum, cui titulus *Moses & Aaron* cum notis Hottingeri, & Bernardi Lamy apparatum biblicum, antiquitates judaicae Adriani Relandi, Conradi Ikenii, Theodori Dassovii, ad cuius operis calcem habes notitiam scriptorum, qui antiquitates judaicas illustrarunt, quos recenset in sua Bibliotheca Joannes Alb. Fabricius. Conferatur quoque Blasii Ugolini *Thesaurus antiquit. judaicar.*, & libri novem de eiusdem antiquitatibus Ariæ Montani inserti in vol. VIII. *Criticor. sacror. anglor.* Praestat quoque planam & absolutam cuiusque hebraici scriptoris habere notitiam, eiusque argumenti, tum etiam nosse scopum, chronologiam (*a*), & partitionem. Suppe-

(a) Baronius ad ann. Christi 58. sect. 42. scite monet lectorem nonnullis accidise; ut tempore ignorato scriptionis epistolae secundae ad Corinthios, in errorem lapsi sint putantes nimirum naufragium apud Melitam passum ab Apostolo, quod Lucas narrat

Suppetant etiam rationes, quibus ab haereticorum, eorumque qui ab ipsis derivant tamquam ab una radice, Scripturas omnes contemnentium criminationibus, totius operis, quod recipit Ecclesia, praestantiam vindicemus ac divinitatem. Hisce siquidem spectatis quamplures amoventur circa intelligentiam ambiguitates. Huic labori sese applicarunt inter nostrates omnes ferme qui commentaria edidere Scripturarum. Inter celebriores tamen in hac provincia exornanda computatur Xystus Senensis, qui in sua *Bibl. sancta* multa ad hanc rem in compendio exhibet, quae in copiosis aliorum voluminibus frustra quaererentur Consulenda quoque sunt Nicolai Seraii *Prolegom. Biblica*, & Jacobi Bonfrerii *Praeloquia*, sicuti & libri tres evolvendi *Archivorum V. Vest.*, *Demonstratio Evangel.* Petri Danielis Huetii, & Richardi Simonii *Histor. critica V. Test.* (*a*). Inter heterodoxos valde commendandus est Joannes Gottlob Carpzovius, qui in sua *Introductione in Libros omnes sacrorum*

---

rat *Actor.* XXVII., unum e tribus fuisse a Paulo enumeratis in ea epistola XI.; non animadvertentes secundam epistolam ad Corinthios longe ante illud naufragium esse scriptam. *Quamobrem*, subdit ille, *scrupulosa, quae videtur, in historia temporum indagatio, quantum conferat ad veram atque germanam divinae Scripturae interpretationem, quisque facile judicabit.*

(*a*) Richardum Simonium cum sanioris critices eruditis liceat judicare, insignem & eruditionem & industriam ad sacrorum scriptorum meritum illustrandum contulisse, multaque praeclara observasse: sed omnes etiam intendisse ingenii sui nervos, ut textum originalem dubium, luxatum, mirisque modis turbatum omnibus persuadeat; unde non tam ducem viae eligendum, quam adversarium existimandum, cuius sunt insidiae detegendae, ac simul notandae.

crorum Bibliorum nihil certe, quo lectorem erudiat in huiusmodi argumento, praetermisit. Praeter libri inscriptionem, locum sedemque in canone, scriptorem genuinum, libri scopum, canonicam auctoritatem a recentioribus hinc inde in dubium vocatam, ac praeterea chronologiam investigare & adstruere conatus est, subiecta in fine singulorum librorum partitione tabulis comprehensa, & accurata interpretum recensione tum apud catholicos, quam protestantes. Dolendum tamen est, Lutheri discipulum non infrequenter se prodere. Nobis est tertia editio Lipsiae exarata anno 1741. caeteris locupletior. Elias etiam Dupinius in sua *Bibliotheca* hebraicos etiam scriptores complexus est, ac deinde in *Prolegomenis Biblicis*; sed Dupinio praeferendus est eruditissimus Remigius Ceillier monachus Bened. qui de iisdem auctoribus egregie & accurate disserit in *Bibliotheca Ecclesiastica*, ubi juremerito Dupinii deteguntur errores permulti, ac juxta critices regulas corripiuntur. Inoffenso pede percurri potest hoc praestantissimum opus.

Harum cognitionum praesidio instructus interpres ad investigandam sacrorum scriptorum mentem accedat. Illud tamen scrupulose teneat, non inspiciendum in Scripturis quod aperte improbet Ecclesia, & ab illius mente omnino alienum sit; proindeque sibi omnino interdictum existimet iis explicationibus adhaerere, quae ab Ecclesiae sententia exploduntur, vel ex quodam recta consecutione aliis eiusdem sententiis opponantur. Hoc veritati consonum semper habitum est apud catholicos, sed demum sano consilio id a Synodo Tridentina præceptum est peculiari decreto ad coercendam haereticorum audaciam, & eorum omnium, qui rationi suae libentissime acquiescunt, auctoritati vero Ecclesiae numquam, suamque opinionem consensui omnium tempo-

rum

rum Eccleſiae impudenter praeferunt . *Ad coercenda*, en verba S. Synodi *Seſs.* 4., *petulantia ingenia decernit , ut nemo prudentiae ſuae innixus, in rebus fidei & morum, ad aedificationem doctrinae Chriſtianae pertinentium , ſacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens , contra eum ſenſum quem tenuit , & tenet S. Mater Eccleſia, cuius eſt judicare de vero ſenſu , & interpretatione Scripturarum ſanctarum, aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum, ipſa a Scripturam ſacram interpretari audeat &c.* Rectiſsime cum Bezange *Introd. in Vet. Teſt. vol.* 1. *ſect.* 2. per *res fidei* quis arguet, non intelligi dumtaxat dogmata & Eccleſiae definitiones ; ſed ſub iis verbis etiam omnes velle Synodum errores praeoccupare, in quos poſſunt incidere interpretes , qui aliquid ſuo ingenio adverſus communem Eccleſiae ſenſum deferre praeſumunt ; & talibus circumſcribi illorum mentem limitibus, ut nil proferant quod vel haereticum ſit, vel haereſi proximum , vel iis, quae ad inſtruendam bonis moribus doctrinam chriſtianam pertinent, utcumque contrarium . Huiuſmodi veritatem fluere immediate tamquam a ſuo principio ex illa , quam capite XII. propugnavimus neceſsitatem nimirum infallibilis judicis Scripturarum, apertiſsimum eſt . De utraque juverit hoc loco, cum maximi momenti ſint, copioſius diſſerere.

Enucleatam omni ex parte doctrinam oretenus acceperunt Apoſtoli a Chriſto , & a Spiritu Sancto poſt illius ad coelos aſcenſum, atque ita recepta ſe in varias, ad illius praedicationem , huius orbis plagas contulerunt . Notandum quoque eoſdem dum Chriſti documenta omnia diſſeminabant, non legiſſe populis Evangelia , quae initio Apoſtolorum praedicationis conſcripta non erant, ſed divinum tradidiſſe Chriſti ſyſtema prout ab eo receperunt . Paulus ipſe jam Chriſti militiae addictus gentes ad eius ſequelam perducere ſtuduit nullo

Y adhi-

Digitized by Google

adhibito libro, sed quae erant fidei illis nunciavit per specialem revelationem qua divinitus instructus erat, ut patet ex Actibus Apostolor. & ex suis epistolis. Corpus autem huius doctrinae ita explicate & aperte Apostolis communicatae interire non poterat, alioquin Christus Ecclesiae suae providisset sub initio tantum, non vero sub quavis futuri temporis differentia, nisi in impiam Wormii sententiam incidamus, qui, ut supra monuimus, explicatam ad nos non pervenisse Christi doctrinam contendit, proindeque varias super eam emersisse opinationes hominum nunquam componendas, & hoc ad puniendam hominum malitiam; quod idem est ac dicere Christum a Deo missum non ad tollendam communem hominum caecitatem, sed ad augendam illorum obcaecationem; & non divinae dilectionis esse argumentum Christi adventum, ut notat Apostolus, sed severae justitiae. Praeterea Christus nedum Ecclesiae suae dogmata communicavit, verum etiam Scripturarum sensum aperuisse nobis saepe tradunt Evangelistae. Ipse equidem post resurrectionem apparens Apostolis, sic Luc. XXIV. 45., *aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas*, nimirum quid de se scripserit Moses, Prophetae, & Psalmista, seu quod idem est, omnia veteris Testamenti. Idipsum operatus est cum duobus discipulis pergentibus Emmaus, *ibid.* 27. quibus *incipiens a Moyse, & omnibus prophetis interpretabatur in omnibus Scripturis, quae de ipso erant*. Id concedunt heterodoxi, sed inde arguunt mortuis Apostolis Scripturarum interpretationem inniti oportere doctorum hominum meditationi, quo nihil absurdius, cum Ecclesia post Apostolos inferioris foret conditionis. Nos e contra propugnamus, & quidem recte, sacrorum librorum explicationem a Christo datam numquam posse deperdi. Nam si eam necessariam existimavit Apostolis,

innuit

innuit certe & necessariam fore pro quavis aetate toti Ecclesiae, ut in doctrina etiam una sit usque ad saeculi consummationem, & nihil apud eam intercidat quod primo revelatum est. Hanc autem doctrinam utpote voce traditam Ecclesiae a Christo , & continenter ab ea, propter promissam eiusdem Christi Domini adsistentiam , omni sedulitate custoditam, iure merito appellamus traditionem. Hinc intelligitur cur Evangelistae ea etiam quæ credere oportet non per modum catechesis, & sub specialibus ac determinatis formulis tradiderunt ne ullus ambiguitati detur locus . Non ignari siquidem omnium credendorum articulos clare , & perspicue iam recepisse Ecclesiam a Christo, nonnulla omiserunt , quæ omnimodam afferrent orationi perspicuitatem . Rem proderit illustrare exemplis. De Eucharistiae institutione ipsi mentionem faciunt; ast dum aiunt Christum protulisse verba illa : *hoc est corpus meum*, nequaquam addiderunt prolata fuisse non figurato sensu , ita ut absque ulla dubitatione intelligeretur Apostolis porrexisse corpus suum patrato prodigio: cum huiusmodi veritas, per quam hæreticorum commenta omnia evelluntur, jam viva Christi voce exceperit Ecclesiæ magistratus. Ob eamdem quoque rationem neque Baptismi ritus plene, & enuclea e exponitur, cum dubium relinquatur, utrum tri m Personarum invocatio interius dumtaxat ad illius integritatem sufficiat , an vero per externam conferatur horum nominum prolationem . Idem dicito de reliquis Sacramentis. quorum doctrinam brevi calamo perstringunt . Et haec causa est cur hæretici neque inter se , neque cum catholicis circa Sacramentorum numerum consentiant . Quandoquidem negata ab ipsis Ecclesiae explicata religionis doctrinâ , hinc erui volunt ex Scripturis tantum; cumque in obscura incidant testimonia in

varias

Digitized by Google

varias opus est ut abeant dissimilesque sententias non solum circa quaestionem hanc, sed etiam in pluribus, quae versantur in moribus, & in eo disciplinae genere, quae cum fide arctissime coniuncta est. Tenendum igitur est tamquam pro ineluctabili principio, nisi apud Ecclesiae magistratum existat doctrinae Christi perfecte enunciatum systema, Christus nequaquam suam religionem fundasset, sed invexisset confusionem. *Scripturæ*, inquit Canus *lib. 2. cap. 7. de Loc. Theol.*, *sunt judex mortuus*, *qui nec litigantium utrinque rationes audire*, *nec sententiam eloqui valent:* unde necesse est ut interpreti illi adstipulemur in illarum explicatione cui Christus eam patefecerit, quo fit ut sit infallibilis judex, per quem jurgia omnia inter fideles arceantur.

Hoc argumentum assensum ab heterodoxis, velint nolint, extorquere debet, cum verae & solidae demonstrationis obtineat locum. Nisi enim ratione, quam solummodo auscultare jactant, omnino destituti videri velint, concedant oportet Christum religionis systema condere debuisse ad explendas sui suscepti muneris partes, ut in unam colligeretur eamdemque sententiam humanum genus, ac disceptatio omnis in rebus fidei tolleretur. Hoc autem nequaquam obtineri posse, nisi in Ecclesia nonnulli inveniantur ab eodem delecti, quibus doctrina ita perspecta sit & cognita, ut caeteri nequaquam dubitent ab eo profluxisse. Ipsarum quoque Scripturarum, quae a Deo proficiscuntur ad firmandam atque illustrandam fidem nostram apud eosdem indubia atque ab omni errore immunis intelligentia esse debet, ne in scandalum videantur conscriptae, sed in fidei emolumentum.

Neque dicant huiusmodi donum cuilibet conferri fidelium a Deo, iis saltem qui studio Scripturarum incumbunt, cum sequeretur religionem christianam inter

socie-

Digitized by Google

societates connumerandam non esse, cum societas omnis recte constituta exposcat, ut sint qui pareant, sint qui gubernent. Cumque a catholicis exquirant semper argumenta firmissima, undenam ipsi probant invicte pollicitum Deum fuisse cuique fideli illud donum? Ex perpetuo illorum conflictu contrarium utique arguere debent, nisi velint gratiam Dei esse dissensionis gratiam & acerrimi praelii. Haec licet verissima sint, mirum tamen esse non debet viro catholico, cur protestantes iis acquiescere non sine pervicacia recusent. Etenim fidelis populi suasionem omnem, & quidem practicam in Ecclesiae magistratu fideliter custodiri Christi doctrinam clare explicatam, pendere tamquam a primo principio ex gratia fidei constituendum est. Tota Christi religio est religio gratiae, ac prima in divisione horum coelestium donorum est gratia fidei. Initio siquidem non argumentorum vi instituuntur fideles, sed ostensione doctrinae, cui quidem captivant intellectum per fidei gratiam, interea dum doctissimi protestantium palmaria respuunt argumenta. Et sane momenta omnia quae a Christi religionis apologistis afferuntur licet luculentissima sint, & quae dicuntur credibilitatis motiva qualia sunt mira Evangelii propagatio, miracula patrata, & constantia martyrum validissime idonea sint ad persuadendum, religionem hanc a Deo proficisci, & unicam esse quacum aeternae saluti consuli ab homine possit; nihilosecius ut huiusmodi veritas ita menti affulgeat ut se determinet ad amplectendum quod Christus docuit, eiusque doctrinam nunquam ab Ecclesia excidisse sibi suadeat, est opus gratiae fidei, & homo fit christianus & cedit libenter doctrinae Christi sibi ab Ecclesia manifestatae, non absolute quia ratio id dictat & suggerit, cum multa sint credenda quae rationem superant, multa quorum nexum & convenientiam non omnes percipere

valent

Digitized by Google

valent, multaque intellectui humano quantumvis acuto, utpote limitibus circumscripto, seu difficulter seu cum errorum admixtione obvia fiunt, vel quia adfectuum pravitate ita obruitur, ut ea admittere negligat; sed ob infusum a Deo largiter fidei coeleste donum. Inter potissima credendi motiva sunt proculdubio miracula, sed Christo non adhæserunt judaei licet prodigiose illi caeco a nativitate videndi facultatem donaverit, idque ipsi fiterentur instituto diligentissimo examine, & Lazaro jam triduo mortuo ac fœtenti restituerit vitam. Christiana igitur religio ultimo resolvitur in fidei gratiam, seu ultima ratio sub qua quis dat nomen religioni christianae, illiusque dogmatibus acquiescit, constitui debet in dono fidei (*a*). Et hoc aliter esse non potest, alioquin nostra fides in lumine rationis humanae, quae errori obnoxia est, tota refundetur; atque ita semper nutaret. Neque juvat heterodoxis se dogmata fidei eruere ex Scripturis quae verbum Dei continent. Etenim ratio omnis sub qua Scripturarum documentis adhaerent, nititur illorum privatae interpretationi, hoc est propriae rationis usui, quae ut diximus, deceptioni subiecta est. Grotius qui egregie ac sublimiter divinitatem in peculiari libro, Christi religionis adstruit, interea totus est in suis

(*a*) Non est cur quis nobis succenseat, eo quod in hac quaestione a S. Tomae doctrina videamur recedere, aliorumque Scholasticorum. In eo siquidem totus est S. Doctor ut ostendat fidei doctrinam cum ratione nequaquam pugnare, sed ipsi rectae rationi consentaneam esse. Idque optimo consilio, cum adversarii religionis tunc temporis sola ratione religionis veritates impugnare auderent. Et nos ultro fatemur ultimum & ineluctabile argumentum illud esse quod desumitur a motivis credibilitatis. Sed aliud est firmare argumentis veritatem sanctitatemque religionis christianae; aliud inquirere quidnam sit ulti-

Digitized by Google

in suis Scripturarum commentariis, ut prodigiorum in illis, quae in veteri Test. enunciantur, characteres omnes amoveat contra Ecclesiae sententiam. Ex hisce omnibus discunt catholici ex recepta ab ipsis, ope infusae docilitatis, Ecclesiae doctrina praecipuum desumere ad interpretandas Scripturas fundamentum, uti exemplo est Eunuchus ille, qui, uti enarrant Acta Apostolorum VIII. 26. *seqq.* tunc Isaiae sensum assecutus, postquam fidei documenta excepit a Philippo per auditum, & intrinsecus per Dei gratiam, ac deinde baptizatus est. Interpreti necesse erit, ut ei perspecta sit summa veritatum divinitus revelatarum, quae Ecclesiae judicio pro divinitus revelatis agnoscuntur. Hac siquidem ratione præfata Evangelii testimonia quae Sacramenta respiciunt, tunc facili negotio interpres, suo proprio, & nativo sensu quem intendit Spiritus Sanctus, intelligit, eaque illustrando si opus fuerit, usurpat ad firmandas Ecclesiae sententias, atque ita in caeteris se gerit difficilioribus locis quae affinitatem quamdam cum rebus fidei praeseferant. Discrepantiae quoque interpretationum tolluntur & dissidia omnia, quibus certe, etsi impossibile sit ut contingat, Ecclesiae interitus promovetur. Neque inde consequitur sanctas Scripturas neutiquam continere divinam revelationem. Eam quidem continent sed non rationis

ultimum movens humanam voluntatem ad systema religionis christianae amplectendum. Causa huiusce effectus est gratia, uti etiam perpetuo docet ipsemet S. Doctor juxta constantem communemque Ecclesiae sententiam. Unde ubi tanti facere videtur motiva credibilitatis, innuit solum inter arma ad profligandos hostes, quae intra limites naturae assumi possunt, ultimum ac peremptorium esse argumentum istud. Aliud est suaderi, aliud credere. Suadetur ratio argumentis, sancta credulitas efformatur supraemo gratiae ministerio.

tionis humanae est eamdem perspicere, sed illorum hominum qui ad hoc munus ratione utuntur sed fidei subiecta, ac supremo Ecclesiae magistratui, cui cura demandata est a Christo totius gubernii. Illi etiam audiendi non sunt, si res prout constituimus ita se habeat, qui arguant supervacaneum fore quemcumque interpretum laborem, & Scripturarum ipsam lectionem, cum jam dictum sit quamplura esse in Scripturis clara & perspicua, quae cuicumque legenti utilissima sunt; non pauca vero videri obscura iis tantum, quibus hucusque exposita a nobis media, & quae proferentur, ad obtinendam intelligentiam, neutiquam suppetunt. Quamplura quoque accipi diversimode possunt, si opinionum discrepantiae neque fidei, neque bonis moribus adversentur, & si circa illorum interpretationem Ecclesia omnino siluerit. Insudare quoque debet interpres in iis omnibus, quorum intelligentia pendet ab oraculo Ecclesiae, argumenta undequaque colligere, Ecclesiam optimo jure super sensum quem proponit, definiisse.

Hisce semel constitutis plane sequitur, primo quamlibet Scipturarum interpretationem quae adversetur alicui veritati, quam pro revelata tenet Ecclesia, falsam omnino esse. Secundo cum nonnulla Ecclesia complectatur dogmata, quae nullibi Scripturarum reperiuntur, uti observat etiam Canus *lib. 3. cap. 3. fundam. 2. & 3. Loc. Theol.* falsa erit expositio illa, quae cum huiusmodi veritatibus pugnare constet. Illud denique probe tenendum est non solum repudiandas expositiones illas, quae Ecclesiae solemni definitioni, & publico decreto opponantur, sed etiam quae collidantur cum eius doctrina, consuetudine, & praxi in iis praecipue quae ipsa Ecclesia judicaverit esse maximi momenti. Erraret profecto qui necessariam homini christiano contenderet abstinentiam a sanguine & suffocato, licet id videatur decretum ab ipsis Apostolis

stolis in Synodo Jerosolymae congregata. Antequam per Concilia quaestio dirimeretur de Christi divinitate, tunc quoque non licuit testimonia quae de Christo loquuntur ita accipere, ut ab eo divina persona excluderetur, cum dogma illud jam docuerit Ecclesia. Perperam argueret quis cum Hussitarum grege verba illa Christi aientis: *nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem*, innuere aperte necessitatem cuilibet fidelium sumendi corpus Christi sub utraque specie, cum hanc expositionem reprobet praxis & consuetudo Ecclesiae cui semper est Deus adsistens, prout pollicitus est, *in quavis aetate* (*a*). Luderet etiam qui lotionem pedum inter Sacramenta connumeraret, licet ex Scripturis colligi videatur Christi praeceptum, & promissio gratiae huic caeremoniae annexae. Ita non censuit Ecclesia, proindeque omnia corruunt argumenta, quae ad id comprobandum congeri possent. Quae cum ita sint operam certe perdidit quidam caeteroquin doctissimus vir, qui singulari dissertatione nuper vulgata ut propugnaret liberius non posse alias inire nuptias neophytum, a quo infidelis uxor discesserit, sed oportere innuptum remanere, pro aris focisque contendit Apostolum Paulum 1. Cor. VII. 15. nequaquam concedere in eo

(*a*) Disputationem de communione sub utraque specie copiose ac solide instituit Joannes de Ragusio Ord. Praedicat. per octo dies in Concilio Basileensi anno 1433., quam videre est in *Thesaur. Monum. Ecclesiast. Henrici Canisii tom 4. ed. Antuerp.* 1725. Eum sequitur Fassinius quondam Professor in Pisana Academia. Apud utrumque disces quaenam circa Eucharistiae sumptionem revera invaluerit Ecclesiae consuetudo. Esse autem in Ecclesia nonnullas consuetudines, quae ex discrepantia circumstantiarum eiusdem judicio & auctoritate immutari possint, testata res est.

Digitized by Google

in eo casu integram matrimonii dissolutionem. Varias in eo capite instituisse quaestiones Apostolum si qui negarent, oculorum sibi facultatem ademptam fateantur oportet. Hinc sequitur si in allato versu facultatem non concedat neophyto iterum nubendi, nihil profecto peculiariter docuisset, licet verba quae illius doctrinam exprimunt super hac quaestione, differant omnino ab iis quae usurpat in solutione illarum quaestionum quae paulo ante ab eo diremptae sunt. Docuerat antea matrimonia inter fideles ita indissolubilia esse, ut si una pars discesserit, utrumque remanere innuptam, seu novo connubio alligari non posse. Deinde utrique parti concedit, etsi una fidelis sit, altera infidelis, simul cohabitare si velint, neque religionis discrepantiam impedire quin matrimonium in suo robore permaneat. Tertio loco ad aliam se transfert diluendam quaestionem, nimirum quae jura remaneant neophyto, si pars infidelis cohabitare renuerit, & consequenter discesserit. Respondet ipse: *si discedit discedat, non enim servituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi*. Haec responsio innuit procul dubio ob discessum partis matrimonii vinculum scissum esse. Si enim aliter sentiret Apostolus, cum in priori quaestione moneat remanere vinculum matrimonii, & hoc loco docere velit quid agendum, addere debuisset nequaquam solvi matrimonium. Notandum insuper quaestionem primam Apostolum dirimere praecepto Domini quod legitur Matth. V. 11. & XIX. 9. Marci X. 9. Lucae XVI. 18. Circa autem postremam difficultatem fatetur non loqui Dominum, sed ipsum Paulum. Ast si definiisset remanendam esse innuptam partem quae ab infideli deseritur, esset jam non Pauli decisio sed Domini, qui contra Pharisaeos matrimonii vinculum ad suam originem revocavit. Verum Apostolus se opponit sententiae Christi? Nequaquam. Apostolus

lus ut bonus ac fidelis interpres verborum Christi, ubi agnoscit Christum locutum fuisse, ad verba Christi remittit lectorem. Quae vero Christus non indicitavit, docet ipse Paulus, qui tamen asserit huius capitis postremo versu per divinam inspirationem loquutum fuisse. Doctrina itaque Pauli est eorum, de quibus mentionem non fecerat Christus, quam per specialem revelationem acceperat. Nos non latet huic argumento & aliis etiam quae adduci possent, si instituti nostri ratio id exposceret, scriptorem illum habere quid reponat, & plura congerere erudite ut significationem illius vocis *servitutis* alio transferat, atque ita non censeatur omnino libera a priori vinculo pars fidelis. Sed nobis ea omnia non satis accommode proferri videntur. Verum quid inde? Neque ipse nobis, neque nos illius sententiae unquam adstipulabimur. En igitur luculentissimum exemplum, quo abunde, quod supra docuimus, confirmatur. Dissidii numquam erit finis, si haec quaestio solo rationis praesidio dirimenda existimetur. Utrique parti accedent patroni, ac non deerunt qui disputationem implicent magis, & protrahant, asserendo ibi Apostolum loqui de concubina, quod a theologo viro concedi nequit. Nam si sermo illi esset de ea concubina, quae vere fuerit uxor, licet secundaria, adhuc eadem superesset difficultas. De ea tamen loqui non potest, cum instruat christianos apud quos vulgatum erat polygamiae simultaneae consuetudinem, Christo jubente, sublatam fuisse. Si autem de vera concubina, jam versu superiori concubinatum adprobasset Paulus, quod apud catholicos blasphemum est dicere. Si itaque alia non suppeteret via ad componendos animos, dubii & ancipites erimus in illius textus germana interpretatione. Sola Ecclesiae praxis erit quae nodum solvat. Si enim aliquando concessum ab ea est nullis qui ad gubernium Ecclesiae vo-

cantur

cantur, reclamantibus, vel saltem majori ex parte, neophyto illi a quo discesserit pars infidelis, ut alteri in connubio coniungatur; qui adhuc priori matrimonio dictum neophytum esse innodatum propugnaret, sequeretur etiam eum adserere, quod Ecclesia hominem illum dum facit christianum, reddit adulterum, & illi facultatem non esse infallibiliter interpretandi Scripturas, quod quam repugnet supra demonstratum est. (*a*) Sed ad propria revertamur.

Canones quos paulo ante constituimus, contemnunt hæretici, ac debacchari non desinunt, uti novissime Joachimus Pfeifferus tunc ademptam interpreti libertatem, quae nonnisi ab optimae critices regulis coerceri possit. Verum nomine libertatis turpiter abutuntur, ac licentiam seu libertatis

(*a*) Joannes Barbeyracius licet haud catholicus *in notis ad Puffendorf. de jur. natur. ac gent. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 1. §. 21. non veretur vestigia premere S. Joannis Chrysostomi *hom.* 19. *supr. c.* 7. *Ep. ad Cor.*, atque in huius praestantissimi Ecclesiae Patris explanatione expressam Apostoli mentem agnoscere. Subtilis ac naturalis huiusce scriptoris expositio digna est ut perlegatur. Auctor noster quodcumque vel auctoritatis vel argumenti genus tentat convellere, sed potius callidi rhetoris more, quam boni & ingenui dialectici in theologicis disciplinis versatissimi, qualem aliunde colligimus eum esse. Argumento illi a natura deprompto, nimirum non privandos esse christianos juribus illis, quae communiter omnibus concedit natura, artificio quodam penitus oratorio occurrit, atque in veritate illa depraedicanda totus est, qua instruimur non caelibatum ipsum amplecti, sed mortem ipsam, si coniugium & vita importent desertionem a fide, christianum oppetere debere. Sed aliud omnino est voluntarie caelibatui se addicere, uti contingit iis qui ministerio Ecclesiae servire volunt, & sacris virginibus sicuti & mortem necessario eligere si a persecutorum sevitiae aliter quis subduci nequeat; aliud esse mentem Christi & Ecclesiae, ut qui ad Christi fidem accedit jam uxoratus, juri matrimonii quod illi.

Digitized by Google

tatis excessum cum vera libertate confundunt. Ipsis quidem, quibus nulla rata & stabilis doctrina est, nullus indefectibilis magistratus, qui eam proponat, & sua auctoritate confirmet, hoc libertatis genus relinquatur, sed ad digladiandum perpetuo inter se, utque pateat amplissime unitatem doctrinae, quae veritatis est praecipuus caracter, in sola catholicorum religione reperiri. Innumera propemodum sunt in Scripturis, ex quibus sine fidei detrimento plures elici possunt ac diversæ opiniones, & quidem utiles, plura quæ desiderant, ut manifestentur, omnigenam eruditionem, ac subtilissimae ratiocinationis usum, sed semper verum erit admota fidei analysis luce, ac nunquam subtracta, magis se prodere, atque ita omne auferri deceptionis ac dissidii discrimen. Non enim ad nominis famam sibi comparandam sacra studia excolenda sunt, sed ad propriam caeterorumque utili-

illi confert natura, cedere omnino debeat, si pars infidelis ab eo discedat. Jus nubendi non adimit Christi religio. Et licet a natura etiam proficiscatur matrimonii indissolubilitas, attamen cum in allatu casu propter discessum partis causa dumtaxat religionis, haec duo jura inter se collidantur; statim concipitur, primum relinqui debere parti fideli, alterum vero locum non habere sub data circumstantia. Tunc enim ideam iniustae punitionis exhiberet potius quam inviolabilis legis. Videtur quoque auctorem nostrum non satis recte se gerere cum suo adversario, sciscitando ab illo, ubinam reperiatur triplicem difficultatem Apostolo exposuisse Corinthios. De difficultate quadam illos scripsisse constat ex citato capite. Quot fuerint numero ignoramus, sed tres arguimus fuisse ex triplici responsione. Si autem auctor noster habeat ipse monumentum, quo pateat unicam tantum difficultatem Corinthios proposuisse, respondemus, quod supra monuimus, quod confirmat Robertus Boyle de stylo Scripturarum, Apostolum saepe arripere occasionem ut de alia re disserat, de qua totus non est orationis suae scopus.

utilitatem, alioquin in doctrinae novitatem inciderimus aliquando, cum hoc praecipuum sit medium, quo in aliis disciplinis hunc finem humanae scilicet gloriae etiam non conquisitae, obtineant scriptores. Quod novum est & inusitatum, illustrius & admiratione dignum censetur. Nova autem in contemplatione naturae detegi utique possunt. Ast in religionis negotio, qui hanc viam sequatur, apud vulgares & indoctos, inter quos nunquam defuerunt qui omnium doctissimi sibi viderentur, existimabitur praeclarissimus, & fortassis nedum honores sed & alia bona consequetur. Verum fateatur continuo versari se in amittendae felicitatis discrimine a Deo ipso pollicitae, quod stultissimum est. Sed in quorumdam canonum bonae hermeneuticae expositione modo immoremur.

Si diligenti studio perpendantur quae hactenus scripta sunt, in quolibet operis capite praeter adnotatas a nobis regulas, quamplures alias confidimus quemlibet judicare deprehendi commode posse. Nonnullae etiam in hoc capite traditae sunt, quibus sequentes addere juverit. Spectanda est vis ac significatio particularum *vau*, quae orationem coniungunt, quae in hebraea lingua, uti supra observatum est de particula diversimode accipiuntur. De hisce particulis tractare solent grammatici omnes, praecipue Petrus Guarinius, & Georgius Mayr. Christophorus Wolfius *in catalog. lexicograph. christ.* citat Christianum Noldium, qui librum edidit Hanfaniae 1679., cui titulus *Concordantiae particularum hebraeo-chaldaearum*, in quo illarum natura omnis ostenditur, sicuti & Joannis Michaelis *Lexicor. particularum*, & alios quos nominat *in historia lexicon hebraeorum*. Contextus quoque, seu versiculi illi sedulo consulendi sunt, qui praecedunt propositionem explicandam, vel subsequuntur; & quandoque totum caput.

Perspe-

Perſpecta ſiquidem totius ſermonis ſerie & ſcopo, auctoris mentem facilius attingimus. Loci etiam obſcuri per clariores interpretandi ſunt. Nonnulla, licet ſub diverſis vocibus, vel ab eodem vel ab alio ſcriptore interdum repetuntur, unde quod obſcurum eſt, per illud magis perſpicuum, ſi ſuppetat, eſt intelligendum. In textu explicando ea praeferenda eſt ſententia, quae auctoris fini, obiecto, eiusque doctrinae, de qua peculiariter agit, magis eſt conſentanea. In illo Ps. XVII. *cum ſancto ſanctus eris, & cum perverſo perverteris*, perperam quis argueret innui malorum ſocietatem noxiam eſſe, & e contra. Aliis quidem in locis haec veritas pronunciatur, ſed in hoc indicat David Deum ſe gerere prout homines jam mereantur, ex eo quod ſubdat: *quoniam tu populum humilem ſalvum facies*, atque ita haec ſententia illi reſpondet: *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*. Perſona quoque eruenda eſt quae loquitur, vel ad quam ſermo dirigatur, ut in praefato textu eadem eſt perſona de qua dicitur: *ſanctus eris*, cum ea etiam de qua aſſeritur: *tu populum humilem ſalvum facies*. Ex contextu quoque peculiaris vocis ſignificatio innoteſcit aliquando. Sic in illo Genes. XI. 1. *erat terra labii unius eorumdemque ſermonum*, intelligitur una hominum tunc temporis communis pronunciatio, & lingua. E contra vero Jos. IX. 13., 3. Reg. XXII. 13., Sophon. III. 9. & Ps. LVI. 9. huiusmodi phraſis concordiam plurium deſignat in eadem ſententia eodemque propoſito. Vox quoque *terrae* nunc unicam regionem, vel civitatem notat, nunc univerſum orbem. Sic in morte Chriſti tenebris colligitur obvolutum fuiſſe totum terrarum orbem. Quae ſynonima in Vulgata verſione, & in aliis etiam & fortaſſis ſuperflua videri poſſunt, legenda ſunt in textu originario, ubi non eadem voce, neque prorſus ſimili exprimuntur. Sic vox *peccatum* hebraice exprimitur

per

per *pesciangn*, *chatà*, *gnavò &c.* quae ex suis verbis, ex quibus derivant, peculiarem sortiuntur significationem. Quod attinet ad tropos, verborumque figuras probe tenendum est applicationem desumendam esse non ex nostra consuetudine sed orientalium, qui ad aliam ideam solent respicere, quam nobis exhiberi consuescat, alioquin nonnullae comparationes nobis sordescerent, vel incongruae viderentur, quae tamen sub illo respectu, quo accipiuntur ab ipsis, venustissimae sunt, atque orationem illustrant. In Apocal. V. 5. Christus appellatur *leo* non propter naturae ferociam, sed quia leonis est nullo timore concuti, & robustissimum esse, quare ibi dicitur victoriam reportasse. In Cantic. VI. 5. dentes sponsae assimilantur gregi ovium, sed propter albedinem. Observandum denique morem fuisse orientalium in sententiis praecipue ad mores spectantibus, audientium acumini ingenii relinquere intelligentiam propositionis, ut hac ratione veritates quas continerent, alte defigerentur illorum menti, ex quo fiebat, ut etiam similitudines non tam obviae essent. Sed de his satis, cum in postremis capitibus de aliis regulis sermo erit. Hic commonemus juvenes ut adeant *Artem logic. critic.* Antonii Genuensis, ac signanter *lib.* 4. *cap.* 5. *& seq.*, ubi specialiter de divinorum librorum interpretatione apposite disserit.

CAP-

CAPUT XV.

De Merito Sanctorum Patrum super expositionem Scripturarum, ac recentiorum Interpretum.

IN eam incidimus disputationem, quam brevi expedire non decet tum ob illius gravitatem, tum quia celebriores in sacra literatura non solum heterodoxos ferme omnes, sed plures etiam experimur adversarios, quod quidem haud sine animi commotione testamur, qui catholici se esse fatentur, & hoc nomine nuncupari volunt. Quod autem deterius est nonnullos quoque Patrum memoriae supra divini verbi explanationem infensos reperimus, qui in theologicis disciplinis, sua quidem sententia, versatissimi sunt. Auctoritati Patrum refragari ex industria haereticorum gregem facile intelligimus, cum admissa semel in rebus fidei & morum illorum universali doctrina, ut non liceat amplius ab eorum communi consensu discedere, agnoscunt & ipsi, novas quas in Ecclesiam obtrudere tentant, ac penitus falsas opinationes, firmari neutiquam posse, & ædificium omne erroris quod extruunt, prorsus corruere. Sed quaenam esse potest ratio nonnullorum ex catholicis, qui communem supra unum vel alterum Scripturae testimonium Patrum sententiam respuere non verentur, vel saltem negligunt? Haereticorum partibus tacito quodam cordis affectu adhaerere illos, cum nefas omnino sit suspicari, non alia profecto de causa id fieri existimandum

Digitized by Google

dum, nisi quia uberrimam eximiamque Patrum doctrinam penitus ignorant, & ex neglecta operum, quae ediderunt, sedula lectione, quam Ecclesiae illi profuerint, minime didicerunt. Vindicandi igitur sunt a quorumcumque obtrectatorum iniuriis, & juxta instituti nostri rationem ostendendum quanti sint facienda illorum testimonia circa Scripturarum interpretationem, ac præsertim illorum communis consensio, ac deinde edocendum quando unius vel alterius placitis adhaerere conveniat, vel dissentire.

Non licere viro catholico a concordi sanctorum Patrum consensu recedere in sacrarum literarum expositione sancivit aperte Synodus Tridentina *Sess.* 4. Ibi enim postquam omnibus interdixerit explicare Scripturas ad suos sensus, aut contra eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, subdit deinde: *aut etiam contra unanimem consensum Patrum*. Justissima vero de causa hanc ordinationis partem adiectam a Concilio fuisse facili negotio adstruimus, & eo libentius, quo pateat non catholico tantum nequaquam licere unanimem Patrum sententiam repudiare in divini verbi intelligentia, sed cuilibet etiam, qui ratione uti velit. Etenim si omnes Ecclesiae Patres tum locorum spatiis dissiti inter se, tum non parvo temporis intervallo in unum doctrinae caput consentiant, procul dubio nil aliud referunt, nisi id de quo imbuti fuerint in Ecclesiis illis in quibus degebant. Permulti inter eos fuere Antistites alicuius Ecclesiae, hoc est, inter alia, a Christo instituti sunt doctores, ut illius dogmata caeteris patefacerent; unde in quo una sit illorum doctrina, erit ipsa Ecclesiae doctrina. Reliqui vero in sua scripta derivarunt, in propositionibus illis in quibus cum aliis plene concordant, quod a sanctis Episcopis acceperunt. Id plane innuere videtur Melchior Canus *lib.* 7. *cap.* 3. *concl.*

5., ubi,

5., ubi, postquam adseruerit in expositione sacrarum literarum communem omnium Sanctorum veterum intelligentiam certissimum argumentum Theologo praestare ad theologicas adsertiones corroborandas, sic concludit: *quippe cum sanctorum omnium sensus Spiritus Sancti sensus ipse sit;* & in §. 12. *cum eos audio unum & idem proferentes, non existimo totidem hominum doctissimorum quidem, & sanctissimorum, attamen hominum, me audire sententiam, sed catholicae Ecclesiae, cuius illi fuere columnae praecipuae.* Hinc sano, ut credimus, consilio eamdem initio huius capitis reddidimus causam, cur Patrum unanimi voci aures avertant heterodoxi, quam jampridem adsignavimus repudiatae ab ipsis enucleatae in Ecclesia doctrinae, seu traditionis.

Verum quid existimandum de veterum Patrum explanationibus super uno eodemque textu, quae toto coelo inter se dissentiant, atque aliter opinetur Chrysostomus puta, aliter Augustinus, & Hieronymus, atque alii aliter? Respondendum procul dubio est, in hac sententiarum discrepantia non tam auctoritas cum reverentia excipienda est, quam illorum ratio expendenda. Simul coniuncti Ecclesiae sententiam exprimunt, a qua ignorantis ac pene dementis est rationem expetere, cum idem omnino sit ac rationem petere a Christo & a Spiritu Sancto suarum institutionum, quae cum a Deo processerint, ab omni errore immunes sunt. Seorsim vero spectati, si varie opinentur, non amplius quid doceat sub illo speciali textu Ecclesia commonstrant, sed quod ipsi judicaverint rectae rationi consonum; cumque & ipsi homines fuerint, aliquando decipi potuerunt. Ita censuit antiquitus S. Augustinus, eumque nos imitari decet nostra hac aetate. Ipse enim *epist. ad Hieronym.* 19 ita docet: *Solis eis Scripturarum libris, qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut*

nullum

nullum horum auctorum scribendo aliquid errasse firmissime credam ..... alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque praepolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia nihil, vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt. Ex dictis itaque, quemadmodum & Augustini calculo liquet, eos sequi oportere, qui prae caeteris uberiori eruditione & doctrina, ac praestantiori ingenii subtilitate ad Scripturarum explicationem se contulerunt, & opiniones seligendas, quæ nulli Ecclesiae definitioni, nulli consuetudini adversentur, & maiori argumentorum pondere roborentur. Verum si ab Augustino discimus unum & alterum ex Patribus interdum fore deserendum, rationem etiam ab eo excipiamus, qua illis adhaerere minime conveniat. *Neque enim*, inquit *ep. 3. quorumlibet disputationes, quantumvis catholicorum, & laudatorum hominum, velut Scripturas canonicas habere debemus*; *ut nobis non liceat*, salva honorificentia quæ illis debetur hominibus, *aliquot in eorum scriptis improbare, atque respuere; si forte invenerimus, quod aliter senserint, quam veritas habet, divino adiutorio, vel ab aliis intellecta, vel a nobis*. Talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum. Ita Augustinus. Honorem itaque sartum tectum ex mente ipsius Augustini servari oportere illustrium veterum scriptorum, qui sanctitate, & religionis scientia floruerint, quotiescumque ab illorum opinionibus deflectere contingat. Et sane si vituperandi ii forent, qui, dum Aristotelis vel Platonis, qui universæ philosophiae primores magistri & sunt, & habentur, quamplura placita improbant, ita tamen se gererent, ut eosdem tamquam imperitissimos homines traducerent immemores prorsus quantum luminis attulerint rectæ philosophandi rationi; potiori jure culpandi sunt ac

penitus

penitus damnandi, qui Patribus imperitiae notam turpiter inurunt, eorumque nomen contumeliis conviciisque insectantur, ac nefarie proscindunt, quod impudentis hominis est ac male feriati. Certum siquidem est multum adlaborasse sanctos viros illos in eruendo Scripturarum sensu, ut Ecclesiae aedificationi consulerent ac singulari cuiusque fidelis institutioni, & pene innumera esse quae praeclare ac docte ab ipsis pronunciantur, quibus continenter utitur Ecclesia ipsa, eorumdemque lectionem assiduam vel praecipit, vel commendat. Qui illorum homilias, vel tractatus, vel sermones attente perlustraverit, penitiorem in ipsis Scripturarum scientiam ac reliquarum disciplinarum non sine admiratione deprehendet, & eo vel magis obstupescet de illorum doctrina, quod illis temporibus neque scriptorum copia, qui modo abundant, a quibus didicissent, suppeteret, & summa esset librorum seu exemplarium inopia. Quare consequitur qui in illos contumeliose debacchantur, in eorumdem operibus pervolvendis minime esse versatos, vel vix delibasse, proindeque homines istos dici posse quod ignorant, blasphemare. Si locupletissimos illorum indices, quos labore incredibili condiderunt editores Maurini, perlustrent sacrarum literarum candidati, iis in locis ubi de sanctis Scripturis disseritur, seque ad auctorem legendum transferant; statim uberrimam sibi suppeditari animadvertent optimae interpretationis materiem, & vix quidpiam a nobis proferri posse, quod ipsi antea non docuerint. Unum commemoro sancti Augustini librum *de Doctrina Christiana*, in quo fateamur oportet omnes contineri accuratae interpretationis absolutissimas regulas, & scitu dignissimas, quae quidem amplificari possunt, & illustrari doctrina & eruditione, immutari tamen augerique non possunt.

Non me praeterit quosdam obiicere, si res ita se habe-

haberet, minime percipi, cur saepissime a statutis regulis ac plane cognitis aberrent viri illi doctissimi, eamque in explanatione Scripturarum usurpent methodum, quae verbo Dei tenebras offundat potius, quam lucem inducat, cum permulta ad allegorias etiam longe petitas transferant. Verum praeterquamquod occurrunt passim in ipsorum operibus quae apposite illustrantur, & exponuntur dilucide, animadvertendum est tunc temporis defuisse, ipsorum temporum iniuria, qui antiquitatibus judaicis investigandis operam darent, caeterorumque orientalium, & tot hebraicae linguae, quam veteres christianorum ne judaizare viderentur, odio prosequebantur institutiones, quae nobis praesto sunt, ut facili negotio eam perdiscerent, ac multa alia adjumenta quae sequioribus aetatibus longe excreverunt. Insuper quoddam tunc ingruebat genus hostium contra religionem christianam, qui illius doctrinae simplicitatem irridendo populos detinebant ingeniosa allegoriarum congerie, & christiani ipsi eisdem summopere delectabantur, in quo quidem veteres ipsos imitabantur, cum ipsi etiam Christi discipuli aliquando conquesti cum eo sint, quod nec parabolam neque proverbium ullum diceret. Conditioni itaque temporum, ac populorum gustui frequenter se attemperarunt maiores nostri, si morem secuti & consuetudinem audientium non multum de literali sensu solliciti in mystico excogitando assidue incubuerunt. Observat Richardus Simonius *hist. crit. V. T. lib.* 3. *cap.* 9. idcirco Origenem eam methodum adhibuisse, eo quod experiretur suas allegorias attentionem sibi conciliare auditorum. Praeter id quod de ejus studiis tradit Eusebius *hist. Eccles. lib.* 6. dubium non est Origenem in Platonis philosophia apprime versatum in allegorica methodo multum profecisse. Cum vero magistri etiam hebraeorum tunc temporis in excogitandis allegoriis insudas-

sudassent exemplo Philonis, post Clementem Alexandrinum, qui hoc studii genus utilitati Ecclesiae fore censuit, proindeque quam maxime excoluit; Origenes quoque illius discipulus, praeceptoris sui consuetudinem prosequutus est. Legatur Huetius *in Origen.* Sed referenda sunt verba Natalis Argonensis, qui quae a nobis dicta sunt, erudite confirmat. Is enim in egregio libro *de optima legendor. PP. methodo* (*a*) *part.* 3. *cap.* 5. inquit: *Quoniam vero ut aequum de antiquitate ex eiusdem antiquitatis monumentis iudicium fiat, plus ei tribuendum non est, quam res & veritas ipsa concedat, inficiari non possumus, in exponenda funditus Scripturae litera nonnihil necessariae eruditionis antiquis Patribus desiderari. Hebraicae linguae ignorantiam in caussa fuisse, quod multi ex ipsis, alioqui doctissimis & ingeniosissimis, genuinum sacrae Scripturae sensum assecuti non sint. Ad aetatem usque Diodori Tharsensis Episcopi, eiusque auditoris divi Chrysostomi, qui primum literali solum sensui incubuisse videntur, Patres Ecclesiae, vel Christi Domini & Apostolorum exemplo ducti, vel ingenii sui vi, suaeque aetati morem gerentes nihil fere proferebant, quod mysticis coloribus, atque significationibus non exornarent. Quum enim alloquerentur ethnicos, qui mysticis poetarum fabellis assueverant, Hellenistas Platonicorum ideis imbutos, Christianos in fide parum exercitatos atque nutantes, ne vilesceret illorum oculis christiana religio, spiritali sensu Scripturam exponere cogebantur.* Hactenus ille. Ex illius itaque verbis colligitur relinquendos esse quandoque Patres

tres

(a) Hic liber Theologiae candidatis valde utilis est. Editus fuit etiam Taurini, & Venetiis.

tres, sed nonnisi summa iniuria ignorantiae nota insimulari posse. Hinc plane fit, ut etiam scite & eleganter animadvertit Canus *loc. cit. cap.* 4. spem nobis nequaquam & posteris tolli ultra exponendi sacras literas, etiam si Patrum disquisitiones plurimi esse faciendas admoneamus, si omnes in eadem sententia permaneant. Loci sunt multi atque adeo libri integri, in quibus interpretum diligentiam Ecclesia desiderat, in quibusque proinde juniores possunt & eruditionis & ingenii posteris ipsi quoque suis monumenta relinquere; in illis etiam quæ antiquorum sunt ingenio ac diligentia elaborata, nonnihil nos christiano populo, si volumus, praestare & quidem utilissime possumus. Possumus enim vetustis novitatem dare, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus naturam suam, & naturae suae omnia (*a*). Subscribendo vero Vincentii Lirinen-

(*a*) Libertatis huius ita circumscriptae exemplum hic proponere liceat. Post Patrum lucubrationes multum insudant, & caput scalpunt recentiores interpretes in explicatione primi capitis Geneseos, ubi rerum omnium genesis enarratur. Nos ab ipsis omnibus plurimum edocti, & purioribus hermeneuticae regulis literalem, ut ajunt, pro modulo nostro, explanationem suscipimus. Haec tota in eo concluditur ut ostendamus, Deum omnimodam rerum omnium congeriem simul creasse, ex qua effingerentur quae in terra sunt, & quae in coelorum spatio; ex quo effectu primum temporis momentum emersisse. Ea vero quæ dicuntur peracta prima ac secunda usque ad sextam diem, nonnisi ipsarum rerum distributiones, & ordinatas compositiones innuere. Illud commode eruitur ex versu 2., ubi legitur; *terra autem erat inanis & vacua, & tenebrae erant super faciem abyssi.* Juxta hebræum textum legitur: *& terra erat inane & vacuum,* sub qua expressione intelligitur, vix facta omnium substantiarum creatione terram non fuisse sub hac mole, quam nos conspicimus, sed quid vacuum, & illius materiem ex qua componen-

Digitized by Google

rinensis monitis subiicit, pretiosas divini dogmatis gemmas exculpe, fideliter coapta adorna sapienter, adiiee splen-

---

ponenda erat, fuisse in abysso magna rerum omnium. Mentio huius abyssi clare videtur convellere illorum opinionem, qui existimant Mosem in 1. versu loqui per anticipationem, & solum innuere velle creaturas omnes a Deo tamquam a creatore prodiisse. *Tenebras* etiam esse *super faciem abyssi* idem est ac dicere omnia tunc fuisse ita admixta & confusa, ut nequaquam aspectu lucis simul congregatae illuminarentur. Hoc autem confirmari posse videtur illo Ecclesiastici XVIII. 1. *Qui vivit in aeternum creavit omnia simul*. Quod vero pertinet ad rerum distributionem factam qualibet die, observandum est quod ubi loquitur versu 3. sacer historicus de lucis formatione inquit Deum imperasse: *fiat lux, et facta est lux*; et juxta hebræum: *sit lux, et fuit lux;* quo loco excluditur terminus *creationis*, & innuitur tantum formatio seu separatio lucis a reliqua massa, nimirum, *sit lux, & fuit lux*, idest emergat a communi congerie. Subditur *factumque est vespere & mane dies unus*, idest primus. Cum lux tota spectetur congregata in loco uno, vix intelligitur revolutio huius primae diei. Sed absque eo quod confugiamus ad ipsius lucis motum periodicum circa reliquam materiem, qui procul dubio immutari oportebat post rerum omnium ordinem constitutum, & eo tempore quo omnia confusa erant minime necessarius; dicimus hanc diem fuisse quidem lapsum temporis, sed non diei peculiaris, quemadmodum postea mensurari consuevit. Prima illa dies fuit temporis spatium illud, quo immensi ipsius lucis torrentes sese e communi massa expedire jussi sunt. Optime autem huic diei adtribuitur *mane & vespere*, cum his vocibus designetur initium & finis huiusce operationis. Certe id fieri poterat, si Deus voluisset, unico temporis momento, sed cum Scripturae tradant, quodam temporis lapsu quem vocant diem, fuisse absolutum, sequitur hanc ipsam diem non concludi duodecim horis sed spatio illo, quod necesse erat ad hunc effectum producendum. Dixi duodecim horis cum ibi mentio solum habeatur & mane & vespere ad similitudinem diei artificialis. Idipsum confirmatur ex operationibus quae factae dicuntur & completae

splendorem gratiam, venustatem, intelligamus te exponente illustrius, quod antea obscurius credebatur. Eadem tamen quae didicisti, doce, ut dicas nove, non dicas

---

pletae a Mose in aliis diebus, qui quidem breviores esse poterant, aut longiores, aut etiam aequales primae diei, seu primo temporis spatio, quo insumptum ad lucis coagmentationem, sed non praecise metiendae per revolutionem alicuius astri. Hinc patet cur dicatur factum esse quarta die solem, qui ex ipsis Scripturis est mensura diei; quae res tantopere exagitat interpretes, ut hostibus Scripturarum non coniecturis, sed argumentis satisfaciant. Die tertia intelligimus factam fuisse hanc tellurem per ea verba: *dixit Deus congregentur aquae quae sub coelo sunt, in locum unum, & appareat arida*. Imperavit siquidem Deus ut fluidum aquarum secerneretur a materia terrestri; itaut haec materies simul coniungeretur sub ea figura, ordine, atque in stratis illis, ad quae divina virtute compellebatur; atque aquarum congeries iis locis collocaretur, quae dispositio telluris illis praeparaverat. Nec ab huiusmodi explicatione dimovere nos potest verbum illud *appareat*, ita ut dicendum sit prima die terram fuisse creatam prout nunc se habet. Nam opponeretur versui 2., ubi dicitur: *terra autem erat inanis & vacua*. Vacua omnino non esset, si aquis undequaque repletam diceremus. Neque dicas id solum intelligi de arboribus, plantis, & animalibus, quibus tunc carebat, cum & aquae etiam destinatae fuerint ad occupandam maximam telluris superficiem, unde dici non poterat terra omnino vacua. Cum id omne quod factum fuit qualibet die distributionem designet, ordinem, & conformationem, recte usurpatur verbum illud *appareat*, cum evidenter constet eodem tempore contigisse & discessum aquarum, & terrae configurationem, & apparitionem. Id roborari existimamus ex verbis illis Mosis, qui apposite dixit: *congregentur aquae quae sub coelo sunt*. Quandoquidem si aquas illas innuere voluisset antea operientes totam terram, non dixisset apte *quae sub coelo sunt*, sed congregentur in locum unum aquae, quae totam occupant terram. Lux vero primo die extracta a communi massa rursum quarta die in immensas portiones divisa fuit ad formandum solem & stellas. Si enim huiusmodi astra de novo condita

dicas nova; hoc est ne inducas novitatem aliquam quæ cum Ecclesiae spiritu eiusque constanti ac perenni sententia aliquantulum etiam pugnare videantur.

Cavendum

dita fuissent, cui bono inservire debuisset tanta lucis copia simul collecta in prima die? Etiam hoc loco non fit mentio creationis sed constructionis propter verbum illud *fiat*. Idem dicito de reliquis creaturis quantum ad materiem terrestrem ex quibus constant. Optimo jure homo dicitur creatus, cum illius nobilior substantia revera creata fuerit a Deo post corporis conformationem, & in illud infusam, ut patet perspicue ex textu. Ajendo siquidem: *inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae*, indicat aliam substantiam distinctam a corpore quod jam erat constructum sed inanime & uti cadaver, fuisse de novo creatam, in qua vita hominis constitueretur.

Neque vero ex huiusmodi explicatione firmari possunt quorumdam recentium philosophorum deliramenta, qui temere, vel potius impie systemate quodam proprio arbitratu excogitato genesim rerum omnium nituntur exponere, parvipendentes ut eo admisso Mosis narratio evertatur, interea dum pugnantia secum ac prorsus ridicula divinaeque sapientiae indigna comminiscantur. Licet enim primi tres dies dimensi non fuerint ac definiti astrorum motibus; attamen appellari possunt dies ratione durationis; ut nimirum, ut eo temporis lapsu, quod ferme respondet caeteris diebus, ea formarentur quae peracta dicuntur sub statuta die, proindeque illud tempus apposite dicitur dies. Nemo nisi qui ex schola Lucretii prodierit, & in ejus verba juraverit ac principia, tot myriades saeculorum ad formandam tellurem necessario elabi oportuisse affirmabit. Deus enim cujus nutu & omnipotenti virtute vastissimae molis substantia totius universi creata ex nihilo est, eadem infinita vi potuit etiam sub unius diei spatio, quod Moses diserte affirmat, hoc vel illud elementum ex communi massa a se condita extrahere, distribuere, suisque locis sub dato ordine figere. Stupendissima humani corporis machina sub una die aperte traditur a divino scriptore efformata, caetera ergo eadem celeritate efformari ac disponi poterant juxta sapientissimi & omnipotentis artificis voluntatem. Ejus siquidem manui tum substantiae rerum

sub-

Digitized by Google

Cavendum tamen est ne tam facili repudiemus mysticas SS. Patrum expositiones. Quis unquam suspicaretur poenam illam iusta de causa Jonæ a Deo inflictam praesignasse Christi sepulturam, nisi Christus ipse admonuisset? Nonne satis erat ad nostram doctrinam inobedientiae culpam a Deo vindicari? Quis colligeret verba illa: *ex Ægypto vocavi filium meum*, quae immediate judaici populi exitum ex Ægypto in memoriam revocat, mystica significatione regressum Christi pueri ex Ægypto innuere etiam? Nemo quoque, nisi manifestasset Apostolus Paulus, quamplura testimonia veteris Testamenti in illius epistolis ac praecipue in ea, quam ad hebraeos direxit, umbram continere dixisset peculiarium rerum, quae Christo & eius Ecclesiae contigerunt. Nil mirum itaque si Apostolorum exemplo plurimum adlaborarunt ut praeter id, quod exprimit litera Scripturarum, aliud excogitarint ad Ecclesiae aedificationem. Nonne probatissima erit quorumdam Patrum sententia, qui docent, idcirco voluisse Deum ut corruerent Jerichuntis muri tubarum strepitu, totiusque populi conclamatione, ut ruina praesignaretur idololatriae ac superstitionis Apostolorum praedicatione; & quemadmodum Jerichuntinorum moenium destructio non militum sagacitati ac fortitudini, sed divinae omnipotentiae omnino adiudicanda foret, sic gentilium conversio omnis penderet ex superno Dei beneficio in corde hominum per gratiam operantis? Infinitae

subduntur, tum virtutes ac facultates, quo fit ut operentur sub ea temporis differentia, quam ipse decreverit. Moses quippe Dei omnipotentiam nobis etiam manifestat notando temporis brevitatem, qua portentum naturae ab eo productum & concinnatum est, quod nos in rerum omnium structura, operationibus & ordine perpetuo admiramur. Vide *les Helviennes, ou Lettres philosoph. &c. Paris* 1785. *tom.* I., & speciatim *pag.* 392. *seqq.*, *&* 402. *seqq.*

Digitized by Google

nitae propemodum huius generis occurrunt Sanctorum veterum expositiones, quas haud aegre excipiet, qui praeclarissimi illius Apostoli testimonii memoriam perpetuo repetat: *omnia in veteri Testamento in figura contigisse, & scripta esse ad correptionem nostram, in quos fines saeculorum devenerunt*. Multum quidem interesse discriminis non diffitemur inter huiusmodi Patrum explanationes, & quas Apostoli & Evangelistae nobis tradiderunt, cum de his nequeat ulla ratione dubitari; atque certissimae nequaquam sint, quas eruunt Patres, nisi Ecclesiae universalis calculo roborentur, ac propterea licebit quandoque ab eisdem recedere, servata tamen erga illos perenni atque ingenua existimatione. Caeterum labores Patrum in conquirendis mysticis sensibus nonnullas diluunt contradictiones quae apparent in Scripturis, sanctorum virorum quasdam actiones a vitii nota vindicant, & peculiare quod continent, documentum commode enucleant. Tales sunt expositiones quas nobis reliquerunt rubi ardentis, velleris Gedeonis, & actionum omnium Samsonis; ex quibus omnibus & aliis bene multis latissime augetur Scripturarum cognitio, atque excrescit utilitas, ut videre est in illo egregio italico opere nuper edito Romae *de Viris illustribus vet. Testam.* a clariss. viro Praesbyt. Congregat. Orat. in quo ita in suo lumine collocantur expositiones sanctorum Patrum ut nequaquam repudiari possint. Neglecta Patrum mystica interpretatione, qui fieri posset ut Abraham ab immanitate quadam excusetur; cum homo ditissimus abiecerit cum filio suo Agar, parum eis conferendo ad vitae utriusque conservationem? Gregorius Magnus quoque parabolam patrisfamilias, qui dicitur misisse operarios in vineam suam, egregie exponit, ac mirum in modum nos instruit ope observationum quas adiecit parabolae seminis, quod ex Christi decla-

declaratione est verbum Dei. Scitu quoque dignissima sunt, quae habet Augustinus *lib.* 17. *cap.* 4. *super cantic. Annae*. Verum longiori oratione non indigemus in huiusce quaestionis tractatione, cum id quod propugnamus, libentissime dabunt ii omnes qui ad sanctorum Patrum studium diligenti cura se conferunt, & eos adeunt interpretes, qui licet in omnibus inhaerendo Patrum sententiae, non satis feliciter literalem sensum exponant, uberrimam tamen, ubi loquuntur eorumdem verbis atque sententiis, doctrinae copiam christiano populo utilissimam porrigunt, quales sunt Natalis Alexander, Sacy, Dughet, aliique multi. Sed sermonem instituamus de interpretibus.

Interpretes spectari possunt in duplici differentia. Nonnulli magis in excogitando Scripturarum mystico sensu omnes ingenii nervos intendunt, alii vero in sensus literalis investigatione operam suam praecipue collocant, licet non neglectis penitus, si de catholicis sermo sit, mysticis explicationibus. Porro utrique valde commendandi sunt. Etenim si Ecclesiæ Patribus plurimum obstringimur propter illorum mysticas elucubrationes, non est cur reliquos improbemus, qui eamdem viam ingressi sunt. Certum siquidem est, quod fusius sequenti capite exponemus, mysticum sensum auctore Spiritu Sancto contineri etiam in Scripturarum verbis, sententiisque, uti ex allato Apostoli testimonio constare superius didicimus, in quo omnia dicuntur contigisse antiquitus in figura, unde carpendi minime sunt, & tamquam nugarum venditores generatim habendi, qui in illius disquisitione versantur. Verum cum non pauci inveniantur, qui ultra quam par est, in hac provincia exornanda loborent, in sequenti capite, qui sint excipiendi ab interpretibus propositi figurati sensus, qui respuendi, edocebimus. Non desunt quoque qui ad genuinam ac

natu-

naturalem literae significationem summo studio se contulerunt tam inter catholicos, quam & protestantes. Hi tamen nostrorum operam hac in re contemnendam audacter decernunt, ac parum prodesse blaterant, utpote qui Tridentinae Synodi jam allato decreto scrupulose obtemperent, & mysticas interdum immisceant expositiones. Hinc celebris ille Matthaeus Polus vehementer a suis obiurgatur, eo quod in egregia, quam edidit, ferme omnium magni nominis interpretum collectione, plures etiam adsciverit catholicorum interpretes. Id repetit saepe memoratus Joachimus Pfeifferus. Concedendum tamen optimam interpretandi methodum, qui primi in literarum restauratione invexerint & excoluerint, fuisse profecto homines catholicos quos paulo post recensebimus. Lectorem interim commonere est haerere cum heterodoxis in sensu dumtaxat literali, idem omnino esse ac sibi caeterisque, qui studio delectantur Scripturarum, innumeris pene locis eum fructum eripere, quem Scripturae ipsae proponunt. Et re quidem vera cum verborum Dei supremus finis sit Christus, quaeque ad ipsum pertinent, jejuna erit ac sterilis omnis illa interpretatio, quae nulla ratione huic fini accommodari nequeat. Sumantur sive Grotii, sive Clerici, caeterorumque qui vulgo appellantur critici sacri, interpretationes, licet multa in illis dilucide declarata intueamur, & verissime exposita, attamen post totius operis absolutam lectionem, vix erigitur animus aut saltem non aeque ac in lectione catholicorum, ad Christi vestigia sectanda. Volumen Scripturarum plerumque in illorum manibus evadit velut opus scriptoris profani, quod quidem, si ex sui natura ad instruendum referatur, erudiet quidem, sed numquam lectorem ad christianam philosophiam perducet. Neque vero existimes damnandos illos, qui sese in solius literae inter-

pre-

pretatione exercent, sed tantum colligas velim si in Ecclesia ii soli reperirentur interpretes, adhuc multa incomperta haberemus. Sensus literalis cognitio, uti suo loco ostendemus, est mystici sensus fundamentum, sed hunc nullatenus elicere, est nolle uti fundamento ad novum & utile extruendum aedificium. Jam vero si Ecclesiae vel unanimi veterum auctoritati inviolate acquiescere gentile est catholico interpreti, quae quidem necessitas ex ipsius intemeratae illuminataeque Ecclesiae natura sponte fluit, ex superius dictis nedum coargui nequit, sed commendari debet omnino; atque inde fit, ut ab omni erroris discrimine expers sit, & dum maiorum auctoritatem veneratur, longe est ut ratione abutatur, in quo gravissime peccant heterodoxi, qui propter varias, ac saepe contrarias Scripturarum explicationes in iis etiam locis quae praecipua religionis christianae dogmata respiciunt, varia etiam sibi fingunt informis cuiusdam Christianisimi praecepta.

Addendum tamen pro veritate est cum sensus literalis primus sit, quem oporteat unumquemque interpretum investigare, etiam illum, qui figuras in textu Scripturarum intueri velit, uti suo loco demonstrabimus, atque huiusmodi sensus plerumque obtineri nequeat nisi ea eruditionis ac doctrinae copia, quam superiori capite indicavimus, in eodem apte eruendo multum profecisse ipsos protestantes diffiteri non possumus. Quapropter consulendi sunt etiam a viro catholico religionis nostrae principiis probe instructo. Ipsi enim quod a nostris initio institutum est summa animi contentione prosecuti, interea dum hoc studiorum genus apud nonnullos potissimum italorum postremis hisce temporibus, fato prorsus iniquo, obsolevit, & pauci inveniuntur qui sanctarum Scripturarum testimonia accurate proponant, & apposite ad veritatem tuendam; atque alii non desint

qui

qui illos sequuntur interpretes, qui plusquam par est in proponendis figuris occupantur, quae textui literali minime innitantur, ingeniique illorum foecunditatem potius declarent, quam Spiritus Sancti sententiam. Absit tamen iniuria ab illis, qui licet parvo numero, attamen pro religionis veritate fortiter dimicant, & sanctissimis Dei verbis rite expositis hostium gregem totis viribus profligare non desinunt. Non abs re erit in studiosae juventutis emolumentum, qui celebriores reputantur in interpretatione verborum Dei, & optimae hermeneuticae regulas prae caeteris adhibuerint, adnotare. Illustriorem occupant locum Stauchus Eugubinus, Marcus Marinus Brixiensis, Jacobus Bonfrerius, Nicolaus Serarius, Simeon de Muis, Arias Montanus, Gerebrardus, Isidorus Clarius, Lucas Brugensis, Emmanuel Sà, Vilelmus Estius, Robertus Bellarminus, & etiam Malvenda, & Gineda. De illis omnibus commentariis brevissimo compendio multa complexis, uti Marianae, Menochii, Tirini, Gordonii, sicuti & de glossa interlineari Anselmi Canonici Laudonensis, judicium sequimur Augustini Calmeti, qui *in Bibliotheca sacra* pronunciat, nonnisi confusam rerum ideam indere, leviori brachio implexas quaestiones enodare, ac tandem varias diversarum sententiarum rationes ne attingere quidem potuisse auctores istos. Attamen aliquo esse adiumento, quibus otii vel ingenii non est volumina ingentis molis evolvendi, vel saltem libris illis comparandis sumptus idonei non suppetunt. Sed concedant oportet docti viri illos omnes, qui horum scriptorum praesidio, eorumque dumtaxat doctrina duce de Scripturis disserunt, frequenter decipi, aut saltem plura omittere, quae maximae forent utilitatis, & vix studium illorum cura promoveri sacrarum literarum.

Quo autem in pretio tenenda sint commentaria Cor-

Digitized by Google

nelii a Lapide, & Calmeti tam pervagata, & pluries edita, paucis declarabimns. Qui Cornelii expositiones consulat legibus probe instructus hermeneuticae, habet quidem unde optimas seligat interpretationes cum multa ibi enodentur usu linguarum, non vulgari eruditione, & prudenti rationis judicio. Verum cum non pauca immisceat, quae vel ad rem non pertinent, vel quae fabulosa, vel a suis principiis non rite petita, vel usurpata in mystico illo sensu qui a literali neutiquam proficiscitur, ob eamque causam a veritate absona; qui legum interpretandi cognitione destitutus illius opinionibus acquiescet omnino, excipiet saepissime quae respuenda forent, & e contra. Idipsum continget in Tostati & Pererii lectione, qui pene omnia absolvunt, ingenii potius foecunditate, quam regulis necessariis, opinationes proponendo nullo suffultas fundamento. Eodem vitiorum genere adstringitur quoque Silveira, licet plura & ipse egregie exponat. Huiusmodi defectus agnovit in iis qui eum praecesserant, Augustinus Calmetus, ac in suo commentario declinare conatus est, & reapse plurimos devitat. Sed licet illius interpretandi methodus caeteris tutior sit, ac longe præstantior, eximium tamen opus istud perfici adhuc emendarique posse in sacra literatura eruditissimi viri non dubitabunt. Nonnulli textus peculiari carent animadversione, qnam procul dubio desiderant. In tanta rerum segete quasi suarum opinionum oblitus, aliquando sibi non constat. Nimis etiam academice quamplures transigit quaestiones, ita ut inter tot quas profert opiniones, nescias cui adhaereat. Ubique etiam languore quodam incedit & ita formidolose, ut vix quod adstruit interpretando, ad ultimum exegeseos perducere tentet. Augeri itaque, variisque in locis vel corrigi, vel firmari argumentis, eruditisque illustrari observationibus, postulant Calmeti elucubrationes.

Uti-

Digitized by Google

Utinam aliquem in sacris disciplinis audiremus versatissimum virum, qui hanc provinciam susciperet. Novum adgredi commentarium eamdem prorsus rationem sectando Calmeti omnium optimam, est procul dubio ingenti se, ac gravissimo labore obruere, interea dum innumera iam a Calmeto prolata, repetere necessum foret. Quare qui huic operi manum admoverit, amplissimam sibi laudem comparabit celeberrimi huius scriptoris commentarium omni ex parte locupletando ad catholicorum utilitatem, & sacrae doctrinae incrementum.

Sequitur ut de celebri Xaverii Matthaei Psalmorum expositione, semota qualibet praeiudicata opinione, prout polliciti sumus, iudicium proferamus. Initio laudatores obtinuit plurimos & quidem doctrinae & eruditionis tum sacrae tum prophanae laude spectatissimos, ut videre est in epistolis ad eum datis, quas auctor publici juris fecit. Progressu temporis oppugnatores acerrimi insurrexerunt qui hunc librum ex omnium manibus ereptum volunt, & opprobriis conviciisque auctorem suum onerant, atque divexant, ac si imperitissimus hominum in coelum os suum, hoc est in sacras Scripturas ponere invita potius Minerva ausus fuerit. Verum si litem hanc non judicum multitudine, sed illorum dumtaxat qui doctissimi habeantur & ingenui viri, librato prorsus suffragio diremptam velimus, si non ex integro absolutus & ex maiori accusationum numero discederet Matthaeius; statutum tamen audiremus ab huiusce consessus venerabili auctoritate, non fustibus, neque aliquo alio supplicio, sed solum digna correptione fore plectendum. Etenim si huiusmodi opus generatim spectetur, meretur quidem peculiari commendatione celebrari, uti ex mox dicendis liquido patebit. Neminem arbitramur, regulas qnae a nobis proponuntur, unquam nega-

negaturum aptas esse & idoneas Scripturarum intelligentiae. Eas siquidem post Augustinum commendant ii omnes, qui rationem interpretandi Scripturas tradiderunt. Qui vero id concedant, necessum quoque est ut Matthaeium ipsum uno ore collaudent, qui omni tum sacrae tum prophanae eruditionis genere, aliisque omnibus mediis quae bona hermeneutica suppeditat, textum illustrat, & interpretationem ad illum plerumque gradum adducit, ut nullus amplius relinquatur ambigendi locus, quod quidem boni interpretis munus esse constituimus. Haec autem frequentissima sunt, ut vix paucos excipias psalmos, in quo plura apte & accommode explicata non fatearis, si praecepta a nobis tradita probe teneas. Hinc sane in nonnullos adversariorum quadrat illud horatianum, assuevisse nimirum, quod ipsi non didicerunt, contemnere. Paucis quidem, uti diximus nostra hac aetate datum est ea cognitionum supellectili instructis textum obscuriorem adire Scripturarum, & in ea interpretum opinione consistere quae caeteris posthabitis, praeferri mereatur. Haec cum dicimus iis iniurii esse nolumus, a quibus studia rite instituta notam hanc amoliuntur. Quae tamen esse debeant, ex hoc nostro tractatu, ni fallimur, colliguntur. Sed inquies, non ne Ss. Patrum memoriae ita infestus Matthaeius ut eorum merita singularia dilaceret, conculcet? Ultro & nos fatemur id ab eo fieri impudentissime. Sed hoc nihil impedit, quominus illius interpretatio ab unius vel paucorum Patrum sententia recedens, admittenda sit, utpote hermeneuticis praeceptis consentanea. Peccat siquidem & gravissime peccat, dum, puta Augustinum aut Chrysostomum, aut Hieronymum, ubi recte iudicaverit non auscultandos, eosdem procaciter traducit tamquam ineptissimos Scripturarum interpretes, non autem si justa de causa ab illorum opinionibus

bus recedat, quae nec fidem nec bonos mores respiciant. Hic solum inquirimus utrum inter bonos interpretes collocari queat Matthaeius, nec ne. Eorumdem etiam documentis utitur & observationibus iis in locis, in quibus praeclare disseruerunt. Verecundiae etiam fines longe transcendit Xaverius, Patrum testimonia depromendo, quae nuspiam illorum operum inveniantur, vel mirum in modum detorquendo, ut eo teste propugnarint, quod nunquam ne leviter dixerint. Verum si eodem in loco ipsemet recte sentiat, hoc prudentiae lectorum satis erit. Huiusmodi crimina non veritati interpretationis detrimento sunt, sed auctoris existimationi, & bonae fidei. Ea tamen tribui debent potissimum cuidam oscitantiae, & socordiae consulendi in fonte auctores quos citat. Praeterea plurimi censorum mihi videntur, dum tam acriter stylum acuunt in Matthaeium, non detexisse adhuc, unde arripuerit uberrimam suarum animadversionum segetem. Expositio Matthaei tota fere est Bellarmini expositio, & quod boni est excerpit ex Lorino, Muisio, ac praesertim Calmeto, a quo inter alia multa didicit, quae optime asserit de Psalmorum titulis firmando argumentis, quod Calmetus levi calamo proposuerat. Vastissimam quoque illius eruditionem, intelligunt sane qui in sacra bibliographia versantur, ex scriptorum lectione proficisci, quos Calmetus etiam recenset non solum catholicorum sed & protestantium in sua Bibliotheca sacra, & Mabillonius *Bibl. Eccl. ad calc. tom.* 2. *de studiis Monast.* Ex quo plane sequitur dum Matthaeium inimice insectantur, injuriōs quoque esse illustrium Scriptorum nomini. Cum vero originarii textus sententiam immutando deturpat proprio arbitratu per consonantium literarum immutationem & vocalium (*a*), hoc ei sacrilegium parcendum

(a)Si licitum cuique foret quam consonas quam vocales pro lubi-

nulla ratione est. Sed in tot millibus versuum quos complectuntur centum & quinquaginta Psalmi, nonnullis tantum in locis hanc temeritatis notam deprehendimus, unde nil officit quin abunde proficiamus ex caeteris rite explanatis (*a*).

Denique expetent alii quid de poetica illius in italicam linguam translatione censendum sit. Qui idioma hebraeum apprime calleat, & sacri auctoris mentem fuerit assecutus, decernet profecto hac in re Matthaeium excellere. Esse in hebraeorum poeticis libris, uti animadvertit etiam Joannes Michaelis in aureo libello de hebraeorum poesi, jucunde ac molliter dicta juxta hebraicam phrasim exploratum est; ac propterea falli eos omnes, qui sub una & eadem italica musa quemlibet Psalmum subiicere nituntur, vel sub ea quam non exposcat Psalmi materies; alioquin plurimum necesse est ut

tu immutare in hebræo textu, nequaquam originarius, neque divinæ auctoritatis haberi posset. Cum autem fatentibus omnibus et ipso Bellarmino versio S. Hieronymi, et etiam Vulgata nostra super hebraicum textum concinnatæ sint, nutaret profecto illarum auctoritas, si suspicari liceret nonnullis in locis voces hebraicas non præseferre sensum, quem modo exhibent. Etiamsi detur puncta vocalia recentissimae esse inventionis, attamen negari nequit illis respondere vocalibus, quas ab initio obtinuerunt consonantes cuiusque vocis. Nullius profecto significationis, aut perpetuo ambiguus est terminus ille qui suis caret vocalibus. Hebraeos vero antiquitus locutos fuisse absque usu vocalium idem est ac dicere usos nequaquam fuisse facultate qua a natura comparati sunt homines. Velle etiam a sacris Bibliis exulatas vocales juxta Maschlefianam hypothesim, est asserere quod prorsus ignoratur, hoc est ineptire.

(*a*) Xaverius Matthaeius *in epist. ad clariss. Cesarottum* seipsum condemnat ob sua in Patres convicia. Sed melius sibi consuluisset

ut amittatur suavitatis, leporis, majestatis, & nativæ elegantiae. Nonnunquam tamen hallucinatum, & ipsum Matthaeium libenter concedimus, ac praesertim in Psalmo L. *Miserere* &c., ubi sanctus David atrocissimi sceleris sui aspectu vehementer perculsus, & divinæ justitiæ rigore perterrefactus, non quasi communem sed magnam misericordiam seu tòtam divinae misericordiae plenitudinem gravissimo plectro gemebundus implorat per totum Psalmum, validissima undequaque arripiens motiva, ut concitata Dei justitia flecti tandem dignetur. Cantillat vero Matthaeius quasi securus de leviusculae culpae venia sub anacreontico plectro. Sed brevi perstringatur sententia nostra. Xaverius Matthaeius talem sibi proposuit methodum in exponendis Psalmis, qua nulla verior, aptior nulla ad sanctissimi vatis mentem assequendam, ut merito dixeris illam usurpasse, quam olim expetebat Ludovicus Muratorius in libro *de bono in scientiis judicio*, quamque adhibuit etiam Joannes Franciscus Manzonius Praesb. Orat. Veron. super Threnos Jeremiae, quos ad italas musas transtulit, & exquisitis adnotationibus illustravit. Erravit Matthaeius pluries, & si velis saepe etiam, sed inde consequitur non contemnendum opus istud, neque diris devovendum, sed emendatione plurimum indigere cum eadem tamen doctrinæ & eruditionis copia, qua utitur ille. Ea siquidem caruisse nonnullos qui Xaverio adversantur, clare commostrant illorum opera, quae vix vulgata protinus viluerunt. Novissime translationem suscepit vir quidam cæteroqnin doctissimus, qui immane quasi piaculum existimans

isset si expungi ordinasset ex reliquis editionibus. Modo sperandum non est cum *in epist.* nuper data *ad clariss. Ranzam* Vercellensem declaret se circa Patres in eadem sententia perseverare.

stimans Davidem genio vere poetico & pindarica elevatione fuisse locutum, nil omittit ut Psalmos reducat ad totidem Academicas & presse ordinatas orationes, atque ita davidicos sensus fatidico spiritu expressos, ad proprias, quas sibi fingit, opinationes transferat. Omittendum non est promeruisse Matthaeium ut truculentum & implacabile bellum in eum excitaretur. Provocavit siquidem totius literarii orbis etiam primores, cum libertate quadam iuvenili, ac forensi licentia quotquot qui sacra studia excoluerunt tam veteres quam recentiores vel ignorantiae vel temeritatis nota insimulando. Suas quoque opiniones ita arroganter profert, quasi omnia a se fuerint excogitata, & inventa, quamvis, uti notavimus, quae illustriora sunt a viris doctissimis didicerit; inter quos recensendus est Matthaeus Polus qui ante Matthaeium quid simile reperiri in Anacreonte narrationi quae legitur in Cantico Salomonis de sponso accedente ad cubiculi januam sponsae suae, animadverterat. Longus essem si omnia recenserentur quae auctor iste ab aliis accepta, tamquam e cerebro suo educta venditare audet. Initio doctissimos nactus est & aequissimos judices, sed ipse ingrato animo eosdem etiam impudenti ac verrino prorsus stylo adgressus est, unde nil mirum si deinceps in omnium odium & offensionem inciderit. Quid senserimus de hoc clarissimo viro plane ac libenter pronunciavimus, non solum ad vindicandum ab obtrectatoribus praestantissimum illius opus, sed etiam cum hac ratione rursum tyronibus praecepta repetantur, quae ante posuimus. Ex Bibliis Vence parum percipies utilitatis, cum non sint nisi excerpta ex Calmeto aliisque; sed sine delectu. Idipsum dicere est de animadversionibus le Contant de la Molette. Etenim rursus opiniones excitat jamdiu obsoletas, quorum falsitatem jam deprehenderunt

doctis-

Digitized by Google

doctissimi viri, & quoniam ex illis tamquam principiis consecutiones elicit, hae quoque errori obnoxiae sunt.

Quodnam de haereticorum commentariis ferri debeat judicium superius indicavimus. Quamplura quae de literali sensu tradiderunt digna sunt ut excipiantur, in quo operam suam collocant. Veruntamen non pauci talmudistarum opinionibus intemperanter acquiescunt, & impiis haeresum magistris favere student, quod idem est uni Luthero, qui, teste Cano, omnes omnium hæreticorum hæreses in unam fecit camarinam confluere. Praeter laudatum Calmetum, & Cathelinotum, qui ei adiuvit *in Bibliotheca sacra*, de interpretibus tam apud catholicos, quam protestantes reperies iudicia in *Biblioth. graec.* Joannis Alb. Fabricii *lib.* 4. Legatur etiam Xystus Senensis *in lib.* 4. *Bibl S.*, quem sequitur Possevinus in *Bibl. selecta*, & Angelus Rocca *in Bibl. Theolog.* Georgius Serpilius in personalibus scriptorum sacrorum interpretes enumerat additis de eisdem eruditorum iudiciis. Eos etiam recenset Richardus Simon *lib.* 3. *hist. crit. V. T.* mediocri industria sed in *tomo* 3. *hist. crit. N. T.* luculentius & maiori apparatu. Item Joannes Franciscus Buddeus *in Jsagog. histor. liter.*. Melchior Leideccherus habet exercitationem de eruditis ad sacram Scripturam commentariis. Franciscus quoque Ribera commentationem edidit de interpretibus Scripturae sacrae in quatuor articulis. In primo de commentariis rabbinicis pertractat, & in altero sanctorum Patrum. Tertio vero de iis quos in sensu literali, & quarto quos in sensu mystico sequi deceat, exponit. Extat etiam in nonnullis editionibus Menochii ad calcem 2. *vol.* Denique consulenda est celeberrima Michaelis *Biblioth. orientalis*.

CAPUT XVI.

De variis Sacrarum Scripturarum Sensibus.

Ad eam tandem devenimus disputationem quae tota versatur in Scripturarum sensibus enucleandis, haud parum difficilem & implexam, sed nostrae huic tractationi valde necessariam. Diversorum causa sensuum, quos sacrae literae praeseferunt, non solum peculiaris earum emergit obscuritas, sed proprii ac singulares etiam proficiscuntur interpretationis canones, & ipsa *Hermeneutica* hac eadem ratione a communi arte secernitur, & jure merito *sacra* appellatur. Nomine sensus generatim spectati ex nativa sui significatione intelligitur facultatum corporis animalium quaedam operatio, quae speciatim sensatio nuncupari solet. Verum haec eadem vox pro mentis conceptu seu sententia quandoque usurpatur, quam quilibet mente tenet, & scribendo aut loquendo caeteris communicat, unde inquit Quintilianus *lib.* 8. *cap.* 5. *Inst.* consuetudo jam tenuit ut mente concepta sensus vocarentur. Sub hac ratione accepta sensus definitione, cognitio sensus alicujus Scripturae erit comprehensio sententiae quam habuit Scriptor quamque verbis exprimere curavit. Cum autem in sanctis Scripturis primus auctor sit Spiritus Sanctus, quem ex mox dicendis plane constabit plura innuere saepissime sub

iisdem

Digitized by Google

iisdem verbis, illorum amplectimur definitionem sensus quoad Scripturas, a quibus sensus iste appellatur *veritas sive sententia per verba sacra literis consignata ex intentione Spiritus Sancti mediate vel immediate significata*. Scolasticam hanc usurpamus libenter loquendi formam, cum aptitudo illius manifeste se prodat ex eo quod certum sit Deum in manifestandis suae divinae mentis conceptibus eam adhibuisse rationem ut non solum per voces quidpiam significarit, sed etiam per res ipsas vocibus expressas aliud revelare instituerit. Etenim propositionum divinae Scripturae veritas immediate dicitur patefieri, dum per voces, seu per locutionem statim innotescit; mediate autem cum non a vocibus praecise, sed a rebus per voces indicatis significatur. Juverit rem hanc exemplis illustrare. Divinum arcae a Noe aedificandae mandatum indicabat procul dubio voluntatem salvandi ab universali excidio humanam speciem, sed complectebatur hoc factum etiam illud in plenitudine temporum complendum liberandi homines qui in Ecclesia fuerint, sicuti testatur Paulus, ab aeterna damnatione. Dum Scripturae referunt Abrahamum e domo sua expulisse Agaram, verba quibus utitur sacer Scriptor actionem hanc perspicue designant, sed huiusmodi actio aliud illustre factum indicitat, nimirum uti declarat ipsemet Paulus, Synagogae per Christum ejectionem. Hinc oritur celebris Scripturarum sensus partitio in literalem & mysticum. Modo alterius in Scripturis loquendi formae, idest mysticae convenientiam vindicemus & utilitatem, atque consecutiones quae inde dimanant, quaeque sunt maximi ponderis, dilucide exponamus.

Saepe monuimus sacras Literas Christum ubique spectare, & agere perpetuo de restituenda hominibus salute. Veritatem hanc ducimus repetendam verbis ipsis

clar.

clar. Janin. *in Tyroc. sacr. Script.*, videlicet non aliud novo Testamento expressum, aliud veteri adumbratum, sed utrobique & ubique Deum de Christo nos alloqui, neque id sparsim, & subsultim interiectis subinde, aut saepius aliis, quae ad Christum nequaquam attineant, sed continenti & perpetua serie. Verum hic dum Christus dicitur, intelligenda est non ejus tantum persona singularis, sed civilis, publica, regia, sacerdotalis, qua Ecclesiae caput est; sed ii praeterea, quibus suas idest capitis vices in regenda Ecclesia commisit; sed totum Ecclesiae corpus, ex capite illo aptum, eiusque influxu vividum ac florens; sed singula corporis eius membra, ut quae Christum minus repraesentent, quam filius patrem, & civitatem civis, eiusque in bona & jura veniant. Totus demum Christus intelligendus est, & omnia illius mysteria in sacris literis, ut nihil amplius. Nec enim opinamur quibus citharae fides tenduntur, clavos aut assulam, qua e testudine subriguntur, quisquam aliud esse diversum a cithara censebit. Haec perpetua est omnium sanctorum Patrum sententia, ac praecipue Augustini *in lib. de Doctr. Christ.* & alibi etiam, & Iraenei *lib. 2. advers. haeres. cap.* 28., & Clementis Alexandrini *lib.* 5. *Stromat.* Gregorius Nyssenus *in lib. de vita Mosis* scribit qui omnino literae servit, rerum ipsarum consequentia corruptibilem esse Deum opinari compellitur. Chrysostomus *hom.* 37. *in Genes.* inquit, *talis Scripturae mos est ut & in paratis verbis plurima saepe multitudo sensuum inveniatur*. Gregorius Magnus *hom.* 18. *in Ezech. duo*, ait, *limina habet Scriptura, exterius & interius. Limen quippe externum litera est; internum vero allegoria*. Eadem habet *hom.* 40 *in Euang.* & *præf. in lib. Moral.* Eucherius etiam *in lib. de form. Spir.* & Bernardus *serm.* 47. *in Cantic.* similia tradunt. Haec omnia breviter sed aperte firmavit Apostolus per ea verba

superius

superius citata videlicet omnia in veteri Testam. contigisse in figura. Si abesset sensus mysticus absque Dei iniuria non potuisset in Concilio Jerosolymitano decernere Petrus durissimi gravaminis veteribus hebraeorum fuisse legalia, quae utique a Deo ipso instituta sunt. Si enim nihil aliud exprimerent praeter obligationem eadem observandi, non intelligitur quanam de causa hominibus illis carnalibus & durae cervicis, Deus optimus tantum onus, quo occasio dabatur ut a sui obsequio tamquam ab jugo intolerabili alienarentur, imposuisset. Plura etiam secluso mystico sensu a Deo volito in præceptis & caeremoniis abiecta apparent & nugatoria, atque adversa textui illi in quo dicitur quod omnia creata sunt bona, uti de abstinentia a carne suilla, de non coquendo haedo in lacte matris, & alia multa. Insuper cum tota ratio, qua libri omnes Scripturarum adlati ad homines sunt, in eo se vertat, ut in finem eos perducat non naturalem sed ultimum aeternum, & supernaturalem; oportebat etiam ut Christum, in quo tantum homines hunc finem adipisci queunt, semper sub aliqua ratione indicitarent, atque in eo designando licet sub diversis modis perpetuo immorentur. Hinc sequitur huiusmodi libros caeteris omnibus qui ab humana tantum industria proficiscuntur excellentiores esse ea quoque de causa, quia de illo hominis fine sermonem instituant, quem humana ratio attingere nequit. Conscriptos quoque fuisse ipso Deo inspirante ex huiusmodi observatione aliud depromitur argumentum, quia de hoc fine omnimoda perfectione ut omnis removeatur erroris species, pertractari nequit, nisi ab eo ipso, qui huiusmodi finem adsignavit hominibus, & medium quo adpisceretur. Quod vero rem nostram causamque maxime continet, illud profecto est, opus Verbi assumentis humanam naturam ab hæreditaria corruptione sanandam, maximum & excellen-

cellentissimum esse prodigiorum Dei, unde sapientissime ab eodem factum est, ut in libris a se conditis non solum perspicue promitteretur, quemadmodum initio operis, vix enarrato hominis lapsu, statim legitur per ea verba: *inimicitias &c.* Verum etiam multifariam praenunciaretur, ut argumenta undequaque non deessent veritatis eiusdem prodigii, qualia sunt portenta perpetrata in ipsa natura, uti plagae ægyptiacae, transitus maris rubri, statio solis &c., ac caetera omnia quae complectitur suus Scripturarum liber, quibus idem portentum qua late patet, adumbratur perpetuo, praefiguratur, & ubique innuitur. En igitur nedum convenientia sed & necessitas sensus mystici & quidem a Deo ipso intenti, qui cum salutis hominum causa indicandae additus sit, utilissimus erit. Hinc corruunt obiectiones omnes atque calumniae quas inimici Scripturarum congerunt super res gestas quae ibidem narrantur, quorum judicio plures omittendae forent utpote inutiles, aliae amplificandae & augendae, aliae vero non proferendae ita distincte, sed breviter neglectis etiam nonnullis circumstantiis perstringendae. Etenim si aliter fuissent expositae id non amplius praefigurarent ad quod instituuntur. Miraculorum etiam veritas, quae occurrunt in Scripturis hac ratione firmatur. Si enim praeter alia portendunt quoque divinam omnipotentiam, quae statuto tempore maximum prodigiorum operaretur, de eorumdem existentia dubitandum non est. Sensum mysticum exposcere cuiuscumque generis vaticinia ita certum est ut probatione non indigeat. Addendum est etiam diligentiam Sanctorum Patrum, licet aliquando plus aequo nonnulli adlaborarint, in exquirendis mysticis sensibus commendandam esse. Quandoquidem & ipsi agnoverunt mysticam significationem latere sub cortice literae. Denique doctrina morum, quae fere ubilibet se prodit ac potissimum

Digitized by Google

mum in libris sapientialibus ratione etiam alicuius mystici sensus quamlibet longe antecedit, quam tradunt philosophi. Nonnulla siquidem habet Salomon, quae Tullius commemorat in philosophicorum libris, & officiorum. Sed in eo etiam praestantiora sunt Salomonis monita, quae non externam tantum vel prorsus naturalem virtutem & justitiam promoveant, sed illam quae hominem Christo assimilet, & fructum pariat non terrenae huius sed coelestis & aeternae beatitudinis, quae hominis expleat desiderium. Illud itaque adfirmandum est, si a Scripturis mysticus sensus expungatur fere ubilibet Christo vacare. Scripturam vero, inquit Salmeronius *proleg.* 1., Christo vacantem nihil magnum aut dignum habituram esse, cuius discendi gratia tantopere esset illi incumbendum. Ut enim vagina gladio destituta, & spica grano vacua, & utres vino carentes parum utilitatis, aut fructus habent, ita plane sacra Scriptura, quae Christum aliquo modo non complectitur, quasi cadaver est animae, & spiritus expers. Ideo cum Evangelistae allegant aliquid ex veteri Test. solent dicere, ut impleretur quod dictum est. Solus itaque Jesus Christus Scripturas implet & sola sua divinitate ac luce collustrat, non secus ac sol mundum hunc universum, & spiritus humanum corpus.

Quod attinet ad sensum literalem sub eodem accipiendae sunt propositiones illae quarum verba licet non proprie seu non sub ea significatione quam primo obtinuerunt, usurpentur, sed improprie, hoc est si ex usu linguae ea verba ad aliud significandum transferantur. Nomine vulpis peculiare animal intelligitur, sed ubi Christus *Luc XIII.* 32. Herodem appellat vulpem, illius sententia literaliter accipitur, quamvis metaphoram vox illa contineat, cum ipsa illa nuncupatione apposite indoles illius regis manifestetur. Loqui verbis translatis

slatis ac metaphoricis commune est omnibus linguis, cum hac ratione & copiosior evadat oratio, & quammaxime illustretur, sed propositiones ita enunciatas absolute dici potest, continere sensum literalem quamvis metaphorice expressas. Sensus itaque literalis non excludit figurarum ac troporum schemata. Sic cum Tullius revolutionem reipublicae appellat tempestatem, eiusque calamitates nomine fluctuum huiusmodi vocabula nativo sensu destituta eamdem ipsam quam indicare per voces proprias potuisset, auctoris sententiam exhibent. Haec probe notanda sunt, nequis omnem metaphoricum sensum pro mystico accipiat, cum sensus literalis per metaphoram exprimi possit. Occasione metaphorae sensus literalis distingui potest a grammaticali, quoniam voces metaphorice acceptae aliud grammaticaliter significant, sicuti tempestas aquarum commotionem designat in primaeva sui institutione. Huius rei quamplura exempla peti possunt ex iis quae diximus super stylum Scripturarum. Nonnulli propositiones illas quae efferuntur vocibus sub earum propria significatione, vocant expressas *historico sensu*, alias vero quae figuris constant, *metaphorico*. Hanc divisionem non improbabimus, dummodo quae paulo ante monuimus recolantur.

Abunde patet ex dictis sensum mysticum eum esse quem exhibent res significatae per verba, ad cuius definitionis perspicuitatem liceat novo uti exemplo. In illo *Deuteron. XXV.* 4. *non alligabis os bovi trituranti.* Verba seu sensus literalis peculiarem legem indicant, sed huiusmodi legis observantia juxta Apostoli declarationem 1. *Cor. IX.* congruam exprimit sustentationem sacris Ecclesiae Ministris a christiano populo necessario porrigendam. Hunc trifariam dispesci, neminem cui omnis Scripturarum scopus exploratus sit, inficias ire non dubi-

dubitamus. Etenim cum ad tria capita referri possint omnia quae in ipsis continentur ad sternendam homini viam salutis, nimirum ut ei innotescat quid credendum sit, quid agere oporteat, ac demum qui finis a Deo proponatur, haec complecti etiam mysticum sensum necesse est, ita ut per eum excitetur fides, atque firmetur, ut opera exponantur iustitiae ac promoveantur, atque sublimitas ostendatur & certitudo mercedis. Hoc autem tam verum est, ut negari etiam non possit haec pertractari quandoque liberaliter, & in libris potissimum novi Testamenti, sed ex huiusce sensus duplicitate illud commodi eruitur ut plures veritates simul indicentur. Tota etiam veterum rituum ac caeremoniarum legislatio homines continebat in unius veri Dei cultu, sed insuper huiusmodi ritus tot erant figurae futurornm. Promissio rerum temporalium abundantiae saepe a Deo facta hebraeorum genti per Mosem aliosque Prophetas comprobavit siquidem Dei omnipotentiam, & idolorum infirmitatem, ut jugi hoc experimento judaei idola contemnerent, ac summo Deo adhaererent, & mysticecopiam uberrimam denotabat coelestium bonorum per Christum elargiendam. Enituit, ut saepe notat sanctus David, peculiaris Dei erga Jacobi posteros providentia, & amor in exitu illorum ex Ægypto, interea dum praefigurabatur hominis manumissio a daemonis captivitate. Sensus ille qui fidem respicit, dicitur allegoricus; qui ad bonos mores informandos moralis seu tropologicus, qui vero hominis finem seu aeternam vitam anagogicus. Haec comprehenduntur hisce versiculis *: Litera gesta docet, quid credas allegoria, Moralis quid agas, quo tendas anagogia*. In ipsis praeter literalem tres describuntur in quos distribuitur sensus mysticus, sicuti & in sequentibus: *Dicitur historicus; quem verba expressa designant, atque allegoricus, priscis qui ludit in umbris,*

Moralis per quem vivendi norma tenetur, Quid vero speres Anagogicus altius effert. Vetustissimam esse hanc partitionem clare evincitur ex auctore *de coelesti Hierarch.* cap. 2. De ea loquitur etiam Augustinus *lib.* 1. *de Genes. ad liter. cap.* 1. ubi ait: *in libris omnibus sacris intueri oportet quae ibi aeterna intimentur, quae facta narrentur, quae futura praenuncientur, quae agenda praecipiantur, vel moneantur*. Legatur Origenes *hom.* 2., & Gregorius Magnus *lib.* 16. *moral cap.* 10. Hieronymus vero similia fere habet *in Oseam cap.* 4., & in *ep. ad Hed. triplex*, inquit, *in corde nostro descriptio & regula Scripturarum est. Prima ut intelligamus eas juxta historias, secunda juxta tropologiam, tertia juxta intelligentiam spiritualem. In historia eorum quae gesta sunt ordo servatur. In tropologia de litera ad majora consurgimus, & quidquid in priori populo carnaliter factum est, juxta moralem interpretamur locum, & ad animae nostrae emolumenta convertimus. In spirituali theoria ad sublimiora transimus, terrena dimittimus, de futurorum beatitudine, & coelestibus disputamus, ut praesentis vitae meditatio umbra futurae beatitudinis sit*. Patet itaque huiusmodi partitionem non excogitatam sub captivitate Scolasticae dominationis uti non sine audacia pronunciat Matthaeius *in dissertat. de sensu Scriptur. spiritual*. Si enim hunc a quovis catholico admittendum libenter fatetur, ignoramus prorsus quanam de causa carpere velit Scolasticos, quorum tamen utitur sæpe lucubrationibus & doctrinis, qui vestigia Patrum secuti diversas illas mystici sensus species agnoverint. Si veteribus incognitas esse praedicat, occasionem profecto præbet adversariis, ut adfirment eum saepe de veterum sententiis decernere quorum opera nequaquam evolverit. Et sane si Scripturae etiam secundum literam aliquando loquuntur de Messia, deque bonis quae esset allaturus,

cur

Digitized by Google

cur ad eadem non referri debet & mysticus sensus ? Si dum litera Christum non exprimit, sed de aliis loqui videtur, profecto hæc ad Christum referri nequeunt nisi per mysticum sensum qui necessario erit aliquis ex recensitis. Nos itaque Scolasticorum principis s. Thomae doctrina communem hanc sententiam confirmare minime veremur, qui suo more adstruit quod docet. In *p.* 1. *Summae quaest.* 1. *art.* 10. haec habet : *Respondeo dicendum quod auctor sacrae Scripturae est Deus, in cujus potestate est ut non solum voces ad significandum accomodet quod etiam homo facere potest, sed etiam res ipsas. Et ideo cum in omnibus scientiis voces significent, hoc habet proprium ista scientia, quod ipsae res significatae per voces significant aliquid. Illa ergo prima significatio qua voces significant res, pertinet ad primum sensum, qui est historicus vel literalis. Illa vero significatio, qua res significatae per voces iterum res alias significant, dicitur sensus spiritualis, qui super literam fundatur, & eum supponit. Hic autem sensus spiritualis trifariam dividitur. Sicut enim uti docet Apostolus* ad Hebr. *VII. lex vetus est figura novae legis, & ipsa nova lex, ut dicit auctor* Eccles. Hierarch. *est figura futurae gloriae; in nova etiam lege ea quae in capite sunt gesta, sunt signa quae nos agere debemus. Secundum ergo quod ea, quae sunt veteris legis, significant ea quæ sunt novae legis est sensus allegoricus. Secundum vero quod ea quæ in Christo facta sunt, vel iis quæ Christum significant, sunt signa eorum, quæ nos agere debemus, est sensus moralis. Prout vero significant ea quæ sunt in æterna gloria, est sensus anagogicus.* Triplicem hunc sensum reperiri in quovis termino Scripturarum contendisse Scolasticos asserit quidem Matthaeius, sed minime probat, & si nonnulli in id operam perdiderunt, non inde sequitur hanc omnium esse mentem Scolasticorum.

Sen-

Sententiam hanc repudiat quidem s. Thomas aiendo quod *multiplicitas horum sensuum non facit aequivocationem, aut aliam speciem multiplicitatis, quia sicut jam dictum est, sensus isti non multiplicantur propter hoc*, quod una vox multa significet, *sed quia ipsae res significatæ per voces aliarum rerum possunt esse signa*. Ex quibus verbis non solum falsitatis revincitur Matthaeius, sed refelluntur ii omnes, qui blaterant Scripturarum sensa a catholicis assimilari ambiguis ethnicorum numinum responsis, & idcirco varias sensuum species invexisse, ut se ab eorum argumentis meritum Scripturarum labefactantibus, tueantur, quod patebit etiam ex iis quæ mox dicturi sumus. Illud unum hic addimus etiam haeterodoxos ferme omnes non reiicere mysticum sensum. Nonnulli eum vocant typicum, & alii *secundum literalem*. Verum si re consentiant nobiscum, non est cur disputemus de nomine. Illud dumtaxat repetimus, quod fatetur etiam Matthaeius, ita eos versari in literali sensu, ut veritates negligant exponere, quæ typice exhibentur.

Sensum mysticum, qui ablegari a Scripturis non potest, inniti oportere super literalem sensum tamquam pro ineluctabili principio tenendum est. Sic a duabus Abrahae uxoribus utraque Ecclesia innuitur, ab aeneo serpente Christi exaltatio, ab Adami maritali coniunctione cum Heva arctissima Christi cum Ecclesia coniunctio, ab Jona in ventre ceti Christi sepultura, in præcepto vetante ossium confractionem agni paschalis omissum in Christo crurifragium, atque ita de caeteris omnibus. Hanc veritatem docuerunt etiam veteres ipsi Ecclesiae Patres, uti Augustinus *in serm. de Abr. & immol. Isaac.* qui ait: *quando audistis exponi sacramentum Scripturæ mandantis quæ gesta sunt, prius illud factum esse credatis sic gestum, quomodo lectum est, ne subtracto fundamento rei gestae, quasi in aere queratis adi-*

ædificare. Et *in epist.* 48. *contra Donat.* inquit; *Quis autem non impudentissime nitatur aliquid in allegoria pro se interpretari, nisi habeat & manifesta testimonia, quorum lumine illustrentur obscura?* Gregorius Magnus, quem inverecunde prorsus carpit Matthaeius, idem fassus est, cum *in lib.* 2. *in Ezech. hom.* 10. tradat: *nobis ut se adspirante Domino interior intellectus aperiat, ipsa prius narratio juxta literam patefiat*. Idipsum non obscure repetit *lib.* 1. *Moral. cap.* 37. ubi ita se exprimit: *Hoc magnopere petimus, ut qui ad spiritualem intelligentiam mentem sublevat a veneratione historiae non recedat*. Hieronymus pluribus in locis, sed *in cap.* 13. *Isaiae* ita loquitur: *Verborum sacrae Scripturae intelligentia in primis quærenda est & constituenda, non quia tropologicam intelligendam condemnemus, sed quia spiritualis interpretatio debet sequi ordinem historiæ, quod plerique ignorantes lymphatico in sacra Scriptura vagantur errore*. Haec docent etiam Epiphanius, Bernardus, aliique. Ex quibus testimoniis satis liquet, quam cautos nos esse oporteat in Patrum repudiandis mysticis expositionibus. Ipsi enim optima methodo instructi fuere ad eruendum e literali mysticum sensum, unde generatim traduci nequeunt tamquam pessimi verbi divini interpretes, sicuti dictatorio decreto impudenter adfirmant nonnulli. Matthaeius non sine ratione Augustini expositionem super verba illa *Ps. CXXI.* 3. *cuius participatio eius in idipsum* non probat, sed cum reliquam totius Psalmi expositionem ipsius Augustini admittat, judicent aequi viri qua fronte eumdem in illorum censu locare sanctum Doctorem potuerit, qui potius detorqueant quam explicent Scripturas. Caeterum Hieronymus *praef. comment. super Abdiam* erubescere se fatetur ingenue in juventute sua allegorias eum delectasse absque cognitione literalis sensus. En eius verba. *In*

ado-

adolescentia mea provocatus ardore & studio Scripturarum, allegorice interpretatus sum Abdiam prophetam, cujus historiam (*idest literalem sensum*) *nesciebam. Literas sæculi noveram, & ob id putabam me librum legere posse signatum*. Subdit deinde: *libere profiteor illud fuisse puerilis ingenii, & hoc quod nunc scribo, maturæ senectutis*. Ex hujusmodi concordi Patrum sententia ab illorum etiam obtrectationibus vindicantur Scripturæ, qui inter fabellas volunt reiiciendas eo quod veteres catholicorum Doctores omnia traduxerint, quae ibi narrantur, ad allegorias. Omnes siquidem literalem sensum admiserunt, ac super eum fundari docuerunt mysticum sensum, in quo quidem delectati sunt ob rationes superius allatas. S. Thomas, cui doctrina veterum Patrum præ quolibet in sacris disciplinis doctissimo viro perspecta fuit, eorumdemque ore disputat de quavis religionis controversia, perpetuus est in hac veritate tuenda, & præter ea quæ attulimus, ait etiam quod spiritualis expositio debet habere fulcimentum ab aliqua literali expositione sacrae Scripturae, ut vitetur omnis erroris occasio. Legatur *quodlibet* 7. *art.* 14. Scolasticis quoque eadem insedit & constans opinio. Claudius Frasserius *in Disq. Bibl. de sensu Script.* diserte tradit mysticum in literali velut animam in corpore contineri; quod fatetur etiam Bonfrerius *in praeloq. sect.* 2., Bellarminus, & alii multi quos longum esset referre. Hinc disces tum ex antiquis Patribus, tum e recentioribus mysticis interpretibus, uti Lyrani, Hugonis Carnotensis, aliorumque mysticas explanationes tuto seligere. Eas omnes reicies, quae in sensu literali fundatas minime reperies, sed eas dumtaxat amplectendas intelliges quae commode ex sensu literali eruuntur.

Ex uno & eodem literali sensu plures mystici sensus quandoque elici posse non est dubitandum. In lon-

ga alicuius facti narratione, eiusque circumstantiis non est inconveniens ut plura indicentur, ut patet ex Abrahami sacrificio, quod Christi mortem praefiguravit; sed ex eo quod pater super humeros filii imposuerit ligna, ac manu tenuerit gladium & ignem, intelligitur quod Christus a Patre ipso, uti docet Apostolus, pro nobis morti traditum fuisse, & Isaac imposita sibi lignorum sarcina ad locum sacrificii pergendo, Christum crucem bajulantem non incongrue adumbrat. Idipsum etiam contingere potest ex una & eadem re seu sententia quam continet litera. Huius veritatis exemplum, inter alia multa, desumi potest ex Apostolo Paulo qui ex illo Ps. II. 7. *Ego hodie genui te*, non solum aeternae Christi generationis argumentum depromit *in ep. ad Hebr. cap.* 1., sed etiam *in cap.* 5. eodem utitur ad comprobandam Christi Sacerdotii excellentiam ac perpetuitatem. In actibus vero Apostol. XIII. 33 eumdem textum profert, ut ipsius confirmet resurrectionem dum ait, *quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris resuscitans Jesum sicut & in Psalmo secundo scriptum est: ego hodie genui te*. Id quoque commonstrant variae unius textus diversorum interpretum expositiones, quae respui non merentur, utpote quae naturaliter literali sensui nitantur. De sensus mystici multiplicitate & non aliter intelligendus est Augustinus qui *lib.* 12. *Confess.* cap. 30. 31. haec habet: *Cum alius dixerit, hoc sensit Moses, quod ego, & alius, immo illud, quod ego, religiosus me arbitror dicere, cur non utrumque potius, si utrumque verum est? & si quid tertium, & si quid quartum, & si quid omnino aliud verum quispiam in iis verbis videt, cur non ille omnia vidisse credatur, per quem unus Deus sacras literas vera, & diversa visuris multorum sensibus temperavit*; & post pauca subdit: *Moses cognovit, & cogitavit, cum scriberet, quidquid hic veteri potuimus invenire, & quid quid nos non potui-*

potuimus, aut nondum possumus, & tamen in eis inveniri potest. Praeclare quoque ad hanc rem sese explicat S. Thomas *in quolibet*. 4. *art.* 1. *Nullus*, inquit, *ita Scripturam ad unum sensum cogere velit; quod alii sensus, qui in se veritatem continent, & possunt salva circumstantia literae Scripturae aptari, penitus excludantur, hoc enim ad dignitatem divinae Scripturæ pertinet, ut sub una litera multos sensus contineat, ut sic & diversis intellectibus hominum conveniat, & unusquisque miretur se in divina Scriptura posse invenire veritatem, quam mente conceperit, & per hoc etiam contra infideles facilius defendatur, dum si aliquid quod quisque ex sacra Scriptura velit intelligere, falsum apparuerit, in alium sensum possit haberi recursus. Unde non est incredibile Mosi, & aliis sacræ Scripturæ auctoribus hoc divinitus esse concessum, ut diversa vera, quæ homines possent intelligere ipsi cognoscerent, & ea sub una serie literae designarent, ut sic quilibet eorum sit sensus auctoris.* Ac denique concludit: *omnis veritas, quæ salva literae circumstantia, potest divinae Scripturae aptari est ejus sensus*. Licet autem propugnari debeat posse plures erui mysticos sensus, attamen cum eodem S. Thoma animadvertimus non in qualibet Scripturarum parte omnes simul reperiri. Tenendum denique est sensum mysticum esse proprium Scripturarum quod confirmat Augustinus eximia illa sententia *in ep.* 49. *sicut humana consuetudo verbis, ita divina potentia factis loquitur*. Et S. Gregorius *lib.* 20. *Moral, cap.* 1. scribit: *Scriptura sacra scientias omnes, atque doctrinas, ipso etiam locutionis suae more, transcendit, quia uno eodemque sermone dum narrat gestum, prodit mysterium, & sic scit praeterita dicere, ut eo ipso noverit futura praedicare, & non immutando dicendi ordine, eisdem ipsis sermonibus novit, & antеacta describere, & agenda nunciare*. Eamdem

dem veritatem ratione adstruit S. Thomas *in quodl.* 7. *art.* 16. hisce verbis: *Spiritualis sensus sacræ Scripturæ accipitur ex hoc, quod res cursum suum peragentes significent aliquid aliud, quod per spiritualem sensum accipitur. Sic autem ordinantur res in suo cursu, ut ex iis talis sensus possit accipi, quod ejus solius est, qui sua providentia res gubernat, qui solus Deus est. Sicut enim homo potest adhibere ad significandum aliquas voces, vel aliquas similitudines fictas, ita Deus adhibet ad significationem aliquorum ipsum cursum rerum suæ providentiæ subiectarum. Significare autem aliquid per verba, vel per similitudines fictas ad significandum tantum ordinatas, non facit nisi sensum literalem. Unde in nulla scientia, humana industria inventa, proprie loquendo potest inveniri nisi literalis sensus, sed solum in ista Scriptura, cuius Spiritus Sanctus est auctor.* Ratio itaque potissima cur proprium sit solius Scripturæ Dei habere mysticum sensum, seu aliquid significare per res illas vocibus expressas, ex eo deducitur, quod res omnes, omnesque eventus subduntur divinæ providentiæ, & ad plura ipso Deo dirigente tendere possunt, nimirum non solum ad conservandum peculiarem ordinem seu cursum, in quo sunt, sed & ad alterum innuendum, qui quidem soli Deo innotescit. Legatur ipsemet S. Thomas *in commentar. epist. ad Galat. cap.* 4. *lect.* 7. Hinc sequitur in actionibus etiam quæ vitio non carent, sed sunt in cursu rerum, potest inesse typus alicujus boni operis, non ratione illorum malitiæ sed quia iisdem Deus uti potest ad aliquod bonum significandum, & voluit etiam ut scriberentur, unde S. Augustinus cap. 43. libr. *contra Faustum* adductis exemplis subdit generatim, illud factum cum in Scriptura narratur, prophetia est, cum vero in eorum vita, qui hoc commiserunt, consideratur, flagitium est. Disquiramus modo an unicus, vel multiplex

in Scripturis literalis sensus admittendus sit. Quæ quidem disputatio multum interest ut in suo lumine collocetur, ac plane constituatur quid sentiendum sit.

Unicum sub quavis Scripturarum grammaticali propositione inesse literalem sensum non protestantibus solum, sed nonnullis etiam catholicorum visum est, ac novissime id propugnat Sebast. Seemiller *part.* 2. *cap.* 2. vestigiis inhærendo de l' Amort *in proleg. S. Scriptur. p.* 5. *quaest.* 12., quibus libenter subscribimus. Etenim Scolastici illi, quos multos esse non diffitemur, qui nobis adversantur, neque satis firma proferunt suæ sententiæ argumenta nec feliciter se ab adversariorum difficultatibus expediunt, neque momenta invicte diluunt, quæ unam ubilibet probant esse literæ significationem. Veterum suffragium enixe efflagitant ac praecipue Augustini, & Thomae, ob eamque causam easdem in medium adducunt auctoritates, quibus usi sumus ad probandam mystici sensus multiplicitatem. Verum ex eo quod asserat Augustinus tres vel quatuor sensus elici posse ex uno textu, non inde colligitur eum de literali non de sensu mystico locutum fuisse, immo si animadvertatur contextus omnis eruitur sane literalem sensum eum nequaquam innuisse. Sanctus quoque Thomas etsi doceat perpetuo multiplices quidem adinveniri posse sensus ex uno textu, cum adiiciat haec verba: *salva literae circumstantia*, nil aliud profecto indicare voluit, quam sensuum multitudinem se teneri mystice ex parte auctoris, non autem literaliter. Hoc firmatur magis ex ejusdem verbis superius allatis idest: *multiplicitas horum sensuum non facit aequivocationem*, *aut* aliam speciem multiplicitatis, *quia sicut dictum est*, *sensus isti non multiplicantur* praeter hoc quod una vox multa significet, *sed quia ipsæ res significatæ aliarum rerum possunt esse signa*. Quae quidem sancti Doctoris doctrina dum pluralita-

ralitatem sensuum mysticorum docet, videtur tamen eamdem excludere sub litera, quae juxta illius mentem, si admitteretur, aequivocationem, seu aenigmaticum sermonem pareret. Quis crederet Frassenium, & Joseph a Turre *in Inst. ad intellig. verbi Dei*, & alios etiam ad suæ causæ patrocinium excitare Hieronymum, qui *in ep.* 103. *ad Paul.* fatetur Apocalypsim Joannis tot habere sacramenta quot verba, & in verbis singulis multiplices latere intelligentias. Haec proferri a S. Doctore putat Frassenius, non propter mystici sensus difficultatem ac multiplicitatem, cum eodem abundent etiam libri veteris Testamenti. Sed haec nugae sunt, cum potuerit Hieronymus & profunditatem literae agnoscere, & multitudinem mysticarum expositionum. Caeterum observandum est quaestionem hanc in eo unice sitam esse, utrum multiplicitas literalis sensus intenta sit a Spiritu Sancto. Non inficiamur propter locorum obscuritatem, ac difficultatem intelligentiae diversimode ab interpretibus accipi posse sensum qui delitescit in litera. Verumtamen multiplicitatem hanc contendimus oriri ex interpretum ignorantia, non autem ex mente auctoris. Hebraeis ipsis, quibus interdum nequaquam innotuit sensus ipse literalis alicuius textus, id contigit propter eorumdem malitiam ac caecitatem, non autem ex multiplici verborum significatione, qua sententiae divinae inter aenigmata ac dolosas propositiones recensendae forent. Tempore veterum Patrum multa deerant; uti jam notatum est, subsidia ad eruendum literalem sensum; unde nil mirum si in varias abierint opiniones, & haec causa fuit Augustino ipsi, ut ingenue fatetur, cur ab incaepto labore cessaverit Genesim interpretandi secundum literam. Legitur in Scripturis Deum fore puniturum judaeos illos *qui manum retraherent & oscularentur*, quod Jobo gravissimum scelus visum fuit ut

patet

Digitized by Google

patet ex eodem XXXI. 27. faciliter nodum solvunt interpretes illi quibus notum est morem fuisse gentilium venerationis ergo protendere manum versus idola, ac praecipue versus orientem solem quem primo tamquam Deum coluerunt, deinde ad se convertere & deosculari; sed ii qui hanc historiae partem ignorarunt varie textum illum poterant interpretari, quorum sensus licet diversi, aliqua ratione veri etiam dici poterant, in quantum universali Scripturarum doctrinae non opponerentur, & aliquam veritatem continerent. Propter obscuritatem denique quamplurium locorum, de qua fuse tractavimus, deesse non possunt variae discrepantesque sententiae etiam circa sensum literalem. Sed pariter verissimum erit quamlibet falsitate laborare quae cum sacri auctoris mente minime cohaereat. Illi itaque inter veteres, qui multiplicare videntur literalem sensum, ac docere non respuendos esse varios literales sensus, ita intelligendi sunt, non ut velint plura ac diversa Deum indicasse sub una eademque voce eodemque loco, sed dumtaxat propter intelligentiae difficultatem eos omnes recipiendos sensus de quibus nulla praesto fuerit potior ratio, cur uni potius quam alteri adhaereamus, dummodo alicui utilitati inserviant.

Ratio potissima cui innitimur, quamque convelli non posse arbitramur ea est quae ex allatis S. Thomae verbis commode eruitur. Equidem idcirco negat omnem in Scripturis ambiguitatem & aequivocationem, eo quod sensuum multiplicitas se teneat tantummodo ex parte rerum quae dicuntur, quae ad plura significanda trahuntur ab auctore ipso; non autem ex parte vocum quæ res ipsas exprimunt. Constat itaque ex mente sancti Doctoris ambiguum fore & fallacem literalem sensum, si vocabula plura significarent praeter ea ad quae significanda ex communi hominum consensione instituta sunt.

Et

Et revera in qualibet lingua jam usitata non licet amplius terminorum significationes, ne decipiens & fallax sit sermo, immutare. Cum autem exploratum quoque sit Deum in sanctis Scripturis nonnisi stylo humano & prout communiter accipitur, alloqui homines voluisse, necesse erat ut easdem terminis adnecteret significationes, quibus homines ipsi iam adsueverant. Neque nobis reponendum non ambiguum tunc fore sermonem si notum sit auctorem velle plures ex eo sensus percipi ab audientibus. Sed ex quibus principiis colligendum hanc esse Dei voluntatem dum loquitur in Scripturis ? Eatenus mystici sensus multiplicitas admittenda est, ne quamplura Scripturarum testimonia inter profanas sententias conlocanda esse videantur, sicuti & integros libros, praesertim historicos, & quia notissimum est in eisdem Christum praefigurari, & ea omnia quae ad Christum pertinent idque firmatum esse Ecclesiae judicio; sed unde constat sensum literalem multiplicem esse? nisi antecedenter pateat evidentissime Deum plus uno vero in una sententia literaliter complectisse, vocabula omnia, quæ adhibuerit, eum praeferre sensum qui iam fuerit in universali hominum consuetudine, constituendum est. Illud autem innotesci nequit nisi per peculiarem revelationem, quæ cum nullibi reperiatur, ab hac nostra opinione non recedendum existimamus. Levissimum vero est argumentum illud quod adversarii depromunt ab infinitate, & incomprehensa Dei sapientia, quae foecundissima est, quod ut magis roborent, minime verentur ex divino verbo quod se & infinita alia exprimit, asserere etiam in uno verbo Dei scripto plura ad literam significari. Etenim, praeterquamquod huiusmodi foecunditatem uberrime commostrant mystici sensus, necessarium est ut ex facto hæc divina voluntas innotescat, alioquin ex divina foecunditate certo argui posset existen-

stentia infinitorum mundi systematum. Optimum itaque erit adfirmare divinae fuisse voluntatis, quæ cum in Scripturis homines alloquatur, non recedendi a communi loquendi ratione. Neque quidpiam negotii facessit quod verba Dei debeant prae verbis hominum excellere. Eminent quidem & in ipsa unica veritate sub verbis exposita, & in aliis omnibus quas offert mysticus sensus. Neque audiendus est Frassenius qui ait, tametsi plures in eadem litera sint sensus, non minus singulis eam legentibus aut audientibus sese accommodat Deus, quippe cum uni hunc sensum aperiat, alterum vero aliis. Haec ratio supponit cuicumque interpretum adesse Spiritum Sanctum, qui sensum suggerat Scripturarum, quod nullus inter catholicos adfirmabit. E contra dicimus nos aliquando hallucinatos nonnullos interpretes in exponendo literali sensu, & interdum eorumdem interpretationes collidi inter se, ex quo consequitur nunquam fore improbandos admissa pluralitate huiusce sensus. Praeterea conveniunt etiam adversarii non ubilibet multiplicari hunc sensum; immo judicat Bonfrerius *in prælog. cap.* 20. *sect.* 10. præter duo testimonia in caeteris locis, qui duplici sensu literali adferri solent, non facile admitti posse hunc duplicem sensum. Si ita est, super quo fundamento constabilienda erit ratio cur in uno textu multiplex lateat sensus, non autem in altero? Profecto minime in vocibus, cum ex institutione sua unicam ideam repraesentent, & si aliam exhibeant, id contingit ex metaphorica translatione, in qua pariter necesse est ut jam convenerint homines, alioquin esset oratio penitus ænigmatica. Seipsos demum jugulant adversarii ubi causas adsignant huius varietatis. Post Frassenium Josephus a Turre *in Inst. ad verb. Dei intellig.*, primo eam repetit ex foecunditate vocum hæbraicarum quæ plura significant, juxta quod tradit etiam Hieronymus *lib.* 1. *Apol.*

contra

Digitized by Google

contra Ruf. cap. 5. nimirum magnam Sylvam esse apud hebræos ambiguorum nominum, atque verborum, quae res diversae interpretationis materiem praebuit, dum unusquisque inter dubia, quod sibi consequentius videtur, hoc transfert. Secundo ex diversa punctatione. Tertio ex varia separandi ratione a dictionibus verba per accentus. Quarto ex varietate versionum. Quinto ex variantibus lectionibus. Verum haec omnia in causa sunt, ut non multiplex sit sensus literalis a Deo intentus, sed ut saepe obscurus sit & implexus adeoque difficulter attingi possit, quemadmodum etiam ut nonnulli interpretum in errorem inciderint. Si septuaginta interpretes in unius vel alterius textus versione decepti sunt, dicendum ne erit Deum voluisse in eorum praepostera translatione ut novus lateret literalis sensus? Si varietas lectionum interdum emerserit ex scribentium oscitantia & incuria, quis unquam decernet Deum eam arripuisse occasionem ut in unico verbo novum infunderet sensum? Hae causae materiales difficultatem ingerunt, & pariunt errorem. Sed haec tam inepta sunt ut risum potius mereantur, quam refutationem. Quae ab adversariis exempla proferri solent in suae sententiae confirmationem, generatim cum Sebastiano Seemiller respondemus, vel ad unicum sensum facile reducuntur, vel duos quidem sensus habent, unum literalem, alterum mysticum, ut probat etiam de l'Amort. Sic illud Matthaei II. 15. *ex Ægypto vocavi filium meum*, recte ab Evangelista transfertur ad Christum in sensu mystico, quod literaliter dictum erat de populo Israelis, ut notat S. Hieronymus. Ad illud vero Isaiae LIII. 8. *generationem eius quis enarrabit*, respondet idem auctor, quod terminus generationis genericus est, omnes inferiores principiorum, & generationum species complectens. Unde licet de aeterna aeque ac temporali Christi generatione locus ille intelligi recte possit, & debeat,

non

non tamen duos, sed unicum esse ibi sensum literalem, ex duabus quidem partibus, sibi invicem subordinatis compósitum, quem & sensum loci illius plenum recte dixeris, sibi persuadendum est. Aliud testimonium profert auctor *adnotation. ad Frassen.* depromptum ex Joanne XI. 50. *expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat*, in quo duplicem videt literalem sensum. Sed cum doceat, ibi esse sensum politicum, quem intendebat Caiphas, alterum propheticum de salute totius mundi per Christi mortem reparanda, hunc nos iure merito appellamus mysticum. Finis Caiphae loquentis eo spectabat, ut salus temporalis servaretur in gente sua, & Dei voluntas applicabat Christi mortem ad spiritualem salutem totius humani generis, quam nobis manifestat Evangelista. Unde optime dixit Ambrosius *super Psalm. CXVIII.* aliud dicere volebat, aliud significabat. Caiphas amovebat in sui consilio judaicae cladis excidium, quod praesefert sensus literalis; Deus vero judicavit suae sapientiae rationem super Christi mortem, ut nimirum praesto esset hominibus medium, ut ab aeternis suppliciis eriperentur, in quo est sensus mysticus, quem idem Evangelista, ut dictum est declarat. Finem imponamus huic quaestioni verbis ipsis laudati auctoris, videlicet hanc sensuum multiplicitatem ansam praebere adversariis nostris fortissima catholicae religionis argumenta eludendi. Quod si enim illis aliquem sacrae Scripturae textum opponamus, qui, spectatis tenore verborum, & intentione loquentis, plures patiatur interpretationes, has inter eam amplectentur, quam ipsis minus obſuturam esse arbitrabuntur; ac insuper dicent: vobis ipsis ſatentibus, quem nos huic loco tribuimus, sensus verus est, nec minus a Spiritu Sancto intentus ac ille, quem vos eidem adtributis, & sic nostram deinde interpretationem reiicient.

Su-

Supereſt ut breviter edoceantur sacrae Theologiae candidati quoniam utriusque sensus mystici videlicet, & literaliter uti debeant in theologicis disputationibus. Generatim constituendum est quemlibet sensum, quem definierit Ecclesia talem esse, idoneum haberi ad confirmanda fidei dogmata, & quaecumque theologica, adserta. Verum cum de qualibet Scripturarum propositione praefinitus ab Ecclesia sit proprius sensus, ille procul dubio usurpandus quem dilucide continet litera. Hoc declarat luculentissime S. Thomas 1. part. quaest. 1. art. 10. ad 1. *Ex solo sensu literali*, inquit, *potest trahi argumentum, non autem ex iis quae secundum allegoriam dicuntur, ut dicit Augustinus contra Vinc. Donatistam ep.* 48. *Non tamen ex hoc aliquid deperit sacrae Scripturae, quia nihil* (haec probe notanda sunt) *sub spirituali sensu continetur fidei necessarium, quod Scriptura per literalem sensum alicubi manifeste non tradat*. Rationem vero allatae doctrinae tradit *in quodlibet* 7. *art.* 14. *ad* 4. ubi ait, non propter defectum auctoritatis ex sensu spirituali non posse trahi efficax argumentum, sed ex ipsa natura similitudinis, in qua fundatur spiritualis sensus; una enim res pluribus similis esse potest, unde non potest ab illa, quando in Scriptura sacra proponitur, procedi ad aliquam illarum determinate, sed est fallacia consequentis: verbi gratia, leo propter aliquam similitudinem significat Christum, & diabolum: unde per hoc quod aliquid de leone dicitur in sacra Scriptura, ad neutrum potest fieri processus in sacra Scriptura determinando. Ex huiusmodi sancti Doctoris animadversionibus tamquam armis instruimur ad adversariorum obiectiones retundendas, & praecipue ad illam, quae desumitur ex eo quod etiam mysticus sensus intentus sit ab auctore ipso. Nisi itaque per divinam revelationem unice Ecclesiae factam innotescat veritas

alicuius sensus mystici nullum efficax ac demonstrativum argumentum ex eo sensu desumi potest. Hinc errant vehementer Theologi illi, qui sententiam suam licet aliqua ratione commendabilem, & piam, sibi blandiuntur extra omnem dubitationis aleam jam locatam esse propter nonnullos vel a seipsis vel ab aliis proprio arbitratu excogitatos mysticos sensus. Illis utique respondendum cum Hieronymo *in cap. XIII. Matth.* pius quidem sensus sed numquam parabola, & dubia aenigmatum intelligentia potest ad auctoritatem dogmatum proficere. Caeterum si veritates illae ad fidem spectantes, quae contineantur in sensu mystico, ut docet S. Thomas, reperiuntur etiam sub literali, non erit cur prudens Theologus ad mysticum recurrat.

Pauca etiam dicturi sumus de sensu illo qui vulgo dicitur accommodatitius. Eum appellamus acommodatium sensum, quando verba Scripturarum accommodantur per extensionem quamdam cuipiam vel eventui, vel personae propter aliquam similitudinem, sed praeter sacri scriptoris scopum & mentem. Ex huiusmodi definitione hallucinari illos constat, qui accommodatitium cum mystico sensu convenire decernunt, quia huius sensus rationem proposuit sibi auctor ipsemet Deus, non autem accommodatitii. Gravius tamen errant illi omnes, qui ipsos Evangelistas usos quandoque existimant accommodatitia interpretatione, sicuti & Christum ipsum, huic opinioni fortasse adhaerentes ob difficultatem intelligendi nexum inter ea quae dicuntur in veteri, & adimpleta adfirmantur ab Evangelistis in novo Testamento. Eam inter alios tuetur Bonfrerius, Frassenius, & Stachuse *le sens literal. de l' Ecrit. defendù*. Ad suae causae defensionem proferunt Isaiae testimonium XXIX. 13. *: populus hic labiis me honorat*, quod Christus applicat Scribis & Pharisaeis. Illud quoque ex eodem VI. 9.

audite

Digitized by Google

audite audientibus & nolite intelligere, quæ pariter usurpat Matthaeus XIII. 14., & alia id genus adducuntur a Stachusio. Verum si prolata in veteri Testamento admitteretur fuiſse usurpata ab Evangelistis aliisque sacris scriptoribus interdum sensu accommodatitio, sequeretur saepe ignorare nos, ubi producantur in sensu a Spiritu Sancto intento. Observandum est etiam uti Evangelistas hac vel simili formula, *ut adimpleretur*, *impletum est*, *prophetavit* &c., qui quidem loquendi modus accommodatitiam sententiam excludit, alioquin vel quasi inutiliter loquuti fuissent, vel etiam protulissent mendacium aiendo impletum esse, quod neque mente neque scripto sacer auctor esset vaticinatus. Addi etiam potest si sensus huiusmodi, ut supra constituimus, alienus est a scopo & mente Spiritus Sancti, Evangelistae proprio arbitratu eam verborum relationem proposuissent, quod absurdum omnino est; cum si nonnulla ab Evangelistis putaremus dicta humano consilio, nutaret illorum auctoritas. Christus ipse verba illa Prophetae commemorans: *populus hic labiis me honorat*, hæc praemisit: *bene de vobis prophetavit*. Et antequam proferret Isaiae vaticinium inquit: *& adimpletur in eis prophetia Isaiae dicentis &c.* Hunc itaque sensum nequaquam usurpasse sacros scriptores propugnandum est. Inficiari tamen non possumus Ecclesiam jure merito nonnulla quæ de sanctis viris veteris Testamenti dicuntur, in illorum adhibere commendationem, qui eodem effulserint virtutum genere. Illud Eccl. XLIV. quod dicitur de Noe, nempe quod *inventus est justus*, & illud de Mose XLV. *similem illum fecit in gloria sanctorum*, non est cur aptari nequeant sanctissimis viris, qui fide ac caeteris virtutibus celeberrimi extiterint in Ecclesia. Hunc tamen sensum absolute vix dixeris accommodatitium, cum sanctitas veterum fuerit ſigura recentiorum. Sed si velis

velis accommodatitium, certe esse commendandum patet, cum suppetat conveniens ratio cur propositio transferatur ad aliud obiectum propter similitudinem obiecti quod respicit auctor. Et haec ratio tenenda est in usu huiusmodi sensus. Etenim ubi conveniens & apta similitudo nequaquam intercedat sub eo respectu, quo loquitur sacer auctor, accommodatitia interpretatio puerilis erit ac vere lusoria, gravitati Scripturarum prorsus iniuria. In hoc quamplures audimus saepenumero delinquere sacros concionatores, qui ex verbo Dei ingenio suo indulgentes, eruunt frivola multa & inania, & quandoque etiam ridicula; ex quo abunde declarant se in sacrarum Scripturarum studio peregrinari, quod in homine, cui munus est de Scripturis ipsis coram multitudinem christianorum disserendi, turpissimum est. Seria sunt haec, neque admittunt ludendi licentiam, quam damnat etiam Synodus Tridentina *Sess.* 4. Audiamus Hieronymi declamationem contra huiusmodi crimen *in epist. ad Paul. Taceo*, inquit, *de meis similibus, qui si forte ad Scripturas sanctas post saeculares literas venerint, & sermone composito aurem populi mulserint, quidquid dixerint hoc legem Dei putant: nec scire dignantur quid Prophetae quid Apostoli senserint, sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia, quasi grande sit, & non vitiosissimum docendi genus, depravare sententias, & ad voluntatem suam, Scripturam trahere repugnantem*. Hactenus ille. Non negamus aliquod licet leve argumentum a simili vel ab exemplo erui posse ab huiusmodi sensu ad informandos mores, sed cavendum ne turpiter detorqueatur legitima ac naturalis Scripturarum sententia. Abundant siquidem tam literaliter quam mystice expositae uberrimis doctrinis ad quamcumque instructionem, ut opus non sit sacro oratori in earumdem intelligentia, ut decet, versatissimo,

ad

Digitized by Google

ad accommodatitium sensum confugere, ex quo plerumque in indignationem animi concitantur audientium, qui juxta de causa summam in oratore & inexcusabilem imperitiam irridendo etiam deprehendunt. Et hæc de variis Scripturarum sensibus.

CAPUT XVII.

Regulae peculiares ad explananda ea loca quae referunt vel historias, vel leges, miracula, & Prophetias.

Non ii sumus qui illorum exempla sequi velimus, qui longissimam regularum seriem pertexunt ad verbi Dei intelligentiam. Quamplures siquidem eaedem omnino sunt quae ad cujuscumque scriptoris mentem adsequendam in bonae critices institutionibus praescribi solent, quas nobis commendasse sufficiat. Etenim cum etiam stylo hominis exaratae sint Scripturae, humana quoque sagacitate ac communi industria licebit illarum sensum investigare. Eas vero, quae sunt maioris momenti, & quamdam peculiarem sacram criticen constituunt, tali methodo recensuimus, quae caeterarum utilissima videretur. Tunc enim adsignandas existimavimus, cum exposita prius a nobis fuerit doctrina omnis, a qua unaquaeque

Digitized by Google

que sponte sua flueret, rati hac ratione altius in intellectu imprimi posse, ac fideliter custodiri. Pauca itaque hoc loco adiungenda sunt, & ea tantum seligimus quae studioso juveni necessaria existimamus. Ac primo inter ea quae monet Augustinus *lib.* 3. *de Doctr. Christ. cap.* 30. desumpta ex Tichonio, illud observandum est, Scripturam sacram aliquando transire de parte ad totum etiam in uno & eodem contextu orationis, ut ab una gente ad universitatem gentium. Nominat etiam unam partem temporis pro toto. Sic quod narrat Lucas IX. 28. peractum post dies octo, Matthaeus XVII. 1. contigisse tradit post sex dies, Christi nimirum transfigurationem. Si in Scripturis legatur sanctos viros malum alicui imprecari, vel accipienda sunt prophetice eorum verba, vel zelum continent divinae justitiae, quo poena desideratur, ut homines resipiscant, vel desiderium ut destruatur regnum humanae pravitatis; vel dicta sunt ad indicandum quam grave sit ac perniciosum peccatum originis, ex cuius fomite infinita propemodum mala derivant.

Generatim in imprecationibus notandus est adfectus quo pronunciantur. Plerumque plus habent quaerimoniae quam indignationis, plus desiderii manifestationis divinae justitiae quam mali ominis. Quandoque etiam exponuntur in persona hominum scelestorum, uti in Ps. CVIII. Et sane omnia quae in sensu proprio quidpiam falsitatis, vel turpitudinis adprobare videantur vel metaphorico sensu uti ironico &c. intelligenda sunt, vel ad mysticum transferenda. Neque hoc subdole expetitum dixeris effugium. Cum enim Scripturarum libri omnes in eo versentur perpetuo ut finem suum commostrent homini & perfectissimas morum disciplinas, ex quo patet etiam humanae menti nonnisi a Deo proficisci potuisse, qui verax est, summeque bonus: inde argu-

arguendum, si nonnulla minus recte prolata videantur, bonae critices ope ad veritatem sanctitatemque traduci oportere in precibus quoque, quae ibidem occurrunt interpretandis, ac potissimum in Psalmis adfectus simul & status notandus est precantium, atque ita inter alia facile erit sibi suadere, nequaquam communi ordine dispositas esse propositiones, sed eum sequi quem postulat vehemens animi motus, quo fit etiam ut eaedem sententiae crebro repetantur. Quae historice traduntur, in iis semper historiae veritas admittenda, unde inquit S. Thomas 1. *part. quaest.* 102. *art.* 1. *in corp. Haec & si quae alia commodius dici possunt de intelligendo spiritualiter Paradiso, nemine prohibente dicantur dum tamen & illius historiæ veritas fidelissima rerum gestarum narratione commendata credatur.* Est etiam observanda consuetudo sacrorum historicorum qui de se interdum in tertia persona loquuntur, ut exempla extant in Evangelio Matthaei atque Joannis, & in nonnullis etiam libris veteris Testamenti. Eadem quoque persona quandoque diversis nominibus nuncupatur, ut optime S. Hieronymus *contra Helvid.* scribendo docuerit Scripturae esse consuetudinem eumdem hominem diversis nominibus nuncupari. Raguel socer Mosis & Jethro dicitur. Gedeon dicitur etiam Jerobaal. Ozias rex Juda vicissim Azarias vocatur. Mons Thabor Ithabirium dicitur. Rursum Hermon Phoenices cognominant Sanior. E contra eodem nomine multi insignuntur, ut Pharaonum nomine veteres Ægypti reges, ac postmodum Ptolemaei. Reginæ vero aliquando nuncupatae sunt Cleopatrae, & in Aethyopia Candaces. Nabuccodonosores dicti erant reges Babyloniae, sicuti & Medorum, & Persarum Darii, Cyri, Xerses, & Artaxerses. Pluribus etiam datum est hebraeorum regibus Herodis nomen. Unus fuit filius Antipatris a quo Samariae urbs ædificata

cata

Digitized by Google

cata est, & interfecti pueri Bethlehemitici. Huius filius erat Herodes Antipas Tetrarca Galileae, a quo S. Joannes decollatus est, & Christus ludibriis exceptus. Alius etiam Herodes Agrippa filius Aristobuli, qui S. Jacobum occidit, & in vincula S. Petrum coniecit. Postremus est alter Herodes Agrippa, quo cum suam caussam suamque fidem defendit S. Paulus. Moris quoque Scripturarum est, ut notat idem Hieronymus *comment. in Matth. XIV.*; ut opinionem multorum sic narret historicus, quomodo eo tempore credebatur ab omnibus, sicuti S. Joseph ab ipsa quoque Maria legitur appellatus pater Jesu. Sed ad ea deveniamus quæ pertinent ad legum interpretationem.

Triplicis generis in hebraica jurisprudentia seu in corpore juris judaici fuerunt leges, aliae videlicet dicuntur morales, aliae forenses seu judiciales, & aliae caeremoniales, quarum praecepta illa quae actionem decernunt, adfirmativa; quae vero prohibent, vulgo appellantur negativa. Hæc omnia sexcentis & tredecim contineri praeceptis censent Judaeorum magistri: Optimo jure super hanc legislationem inquit Deus per Mosem *Deut. IV.* 8. *quae est enim alia gens sic inclita, ut habeat caeremonias, justaque judicia, & universam legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros?* Verum cum veterum caeremoniae omnes abolendae erant, utpote non amplius indicantes adventum illius, qui jam venit, nempe Messiae, & in praesentiarum haberentur solemne mendacium, sicuti etiam nonnullae forensium legum quae veterem dumtaxat respiciebant judaeorum rempublicam, quae jam intercidit, & excisa est, hac de causa, & propter comparationem christianae legislationis aliquando a Scripturis ipsis illarum rectitudo infirmari videtur. Multitudo quoque caeremonialium ex immensa rerum significandarum copia pensanda est. Pro-

provinciam

Digitized by Google

vinciam hanc vindicandi quamlibet juris positivi hebraeorum quamplures susceperunt, quos videre est apud citatum Wolfium, & Joannem Alb. Fabricium. Defensores etiam unius vel alterius legis abundant in Thesauro Blasii Ugolini, inter quos locum habet etiam Joannes Benedictus Michaelis, qui edidit tractatum *de judiciis poenisque capitalibus in sacra Scriptura commemoratis*, & Joannes Seldenus *de jure natur. ac gent. juxta discipl. hebraeor. & de Sinedriis*, atque Buxtorfius *de success. in bona defunctor. &c.* Bergerius *in apol. Religion.* plurium legum ordinationes ab impiorum obtrectationibns solide defendit, sicuti & Petrus Regis in libro *Moses legisl. seu de hebraicar. legum praestantia*. Nobis satis erit juvenes commonere de communi illa regula qua utuntur jurisperiti omnes in quarumcumque legum interpretatione, nimirum ab eo legis sensu, quem legislator intendit, neminem posse discedere. Hoc vel fraude vel ignorantia ducti nequaquam observarunt Pharisaei dum postularunt a Christo num liceret dimittere uxorem ex illo *Deuter. XXIV.* 1.. Ipsi enim ut patet *Marci X.* 4. putarunt libellum repudii non cadere sub lege, sed dumtaxat esse permissum, quod contra Christus vocat praeceptum *vs.* 5. Quod S. Matthaeus apertius declarat V. 31. aiendo: *quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii*. Repudium itaque non erat imperatum loco citato, sed dumtaxat publicus actus in faciendo repudio. Hebraeis siquidem ad imitanda gentilium instituta proclivibus & etiam ad crudelitatem, propter hanc eorum duritiam permissum fuit repudium; sed ne jurgia & contestationes orirentur, ordinatum quoque est sub praecepto ut publico & authentico actu id fieret, quo, inter caetera non amplius resumi poterat uxor dimissa. Verba itaque Deuteronomii explicantur per illud Matthaei V. 31. ita ut dicitur

Digitized by Google

& dimittet eam de domo sua, subintelligitur eadem particula conditionalis quae ponitur initio versiculi. Christus quoque optimo jure quintum Decalogi praeceptum ad animum etiam, gestus, & verba extendit *Matth. V.* 22. quod judaeorum sui temporis doctores negligebant. Eo minus intellexerunt legem latam *Deut. V.* 15. cum carperent in Christo opera charitatis, uti sanationem ægrotorum in die sabbati. Insuper nulla est in Scripturis lex, quae impossibilia imperet unde licet solemnitatum observantia omnibus suis numeris praecipiatur; non tamen ita praescripta erat, ut tenerentur etiam, quibus impossibile erat eas observare. Cum Deus nedum actiones externas, sed & intimos animi recessus inspiciat, qui quidem ipsi Deo subiectus esse debet, credendum non est satisfieri etiam antiquitus mandato legis solo actu obsequii externo, uti declarat etiam Isaias I. 10. 15., & Amos V. 21. 23 & clarius Leviticus XIX. 17. 18.. Cum a Deo processerint antiqui foederis leges, proindeque æquissimae sint, nullus ex eis sensus elici potest nisi æquitati consentaneus, ac vero probatoque juri naturae. Cum Deus consuetudini, quae legibus suis contraire videatur, attamen invectae per sanctos viros voluntatis suae interpretes, obviam non iverit, dubium non est, quin etiam legis divinae sensum, talis consuetudo a Deo non improbata, declarare possit. Exemplum est in caeremoniis paschatis, quae deinceps non omnes observatae sunt. Illa etiam est admittenda interpretatio, & caeteris praeferenda quae apparentem in legibus contradictionem diluat. Sic quod dicitur Exod. XX. 5. & Ezech. XVIII. 20. simul conciliantur, si dicatur laturos filios poenam iniquitatum parentum, si eodem scelere inquinati inveniantur. Illud etiam probe spectandum, quod licet hebraeorum leges forenses eo vergerent, ut Israelitae a caeteris nationibus separati in peculiari reipublicae ordine commora-

morarentur, non secus ac omnes caeremoniales, saepe etiam circa imagines rerum futurarum occupari, unde munus interpretis erit mysticum sensum in eisdem, ubi opus fuerit, nequaquam negligere. Cum divinæ comminationis quandoque non expressam verbis sed latentem habeat conditionem, dabit operam interpres, ut eam suppleat non solum ex iis quae supra diximus de stylo, sed etiam ex facto; ut in illo Jonae III. ad pœnitentiam siquidem Ninivitas statim cum rege suo se contulisse legitur.

Nonnulla etiam delibabimus circa propositionum illarum explicationem, quibus narrantur miracula. Cum naturales eventus omnino differant a prodigiosis in errorem inducerentur, qui utrosque confunderent, unde operam dabit interpres, & quidem sedulam ne eventum naturalem in miraculum convertat, & vicissim. Miraculum non est eventus, cujus causas ignoramus, tametsi mere sint naturales, ut voluit Spinoza; neque juxta Lochium illud vocatur miraculum quod est supra intelligentiam spectatorum, & ab illis habetur pro divina operatione; sed miraculum est proprius effectus divinae virtutis, quatenus infinite excedit vim cujuslibet causae creatae, quo vel suspenditur vel abrumpitur in parte aliqua ordo naturae statutus a divina providentia, ad bonum illud promovendum, quod intenderit illius sapientia. Eo nomine soli Deo in sacris literis tribuitur uti in Psalmo LXXI. 18. *Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus*; & Ps. CXXXV. 4. *qui facit mirabilia magna solus*. Horum effectuum supernaturalium naturam tradunt omnes qui de veritate religionis christianae pertractant, sed novissime ita egregie de miraculis dixerit Vergerius *in tract. histor. polit. verae Relig.* variis in locis, & praesertim *vol.* 5. & luculentissime Spedalerius *in Analysi contra Freretum*, & ab eo-

rumdem

rumdem operibus abunde hauries firmissima fundamenta, quibus vindices ab impiorum obiectionibus miracula omnia quae a sanctis Scripturis referuntur. Juxta institutum nostrum observandum proponimus, quod per causas naturales cognitas explicari potest pro naturali habendum est, & ad hoc spectandae sunt circumstantiae, & determinationes omnes quae a sacro auctore ponuntur. E contra vero si positis determinationibus, quotquot possunt innotescere, tamen ope legum naturalium explicari ab interprete eventus propositus nequeat, & vim infinitam postulet, miraculum erit. Visio obtenta a caeco nato *Joann. XI.* 1. Christi virtute prodigiosa omnino est. Etenim nulla est connexio inter ea quae adhibuit Christus in hoc opere, & visionem, immo potius medelae contraria erant. Idem dicito de mundato a lepra Matth. VIII. 3.: nullus siquidem apparet inter vocem *mundare*, & leprosi sanationem, qui statim a morbo illo sanatus est. Quod cum constanti naturae ordine nequaquam componitur, & communi operatione causarum secundarum, si evenerit, prodigiosum est. Sic suspensio aquarum quae diserte traditur a sacro historico in mari rubro & Jordane, fuit procul dubio miraculum. Idem dicendum de trium puerorum conservatione coniectorum in ignem a Nabucco *Dan. III.*. Pariter causae naturales in eo statu corporis Lazari jam sepulti & foetentis, ad dissolutionem conveniebant, & integram accelerabant. Si autem dubium nobis sit an effectus procurari possit a naturae viribus, nec ne, judicium feratur ex ratione & indole relationis; quare si haec vel expresse, vel scopi atque occasionis commemoratione aliove quocumque modo vestigia efferat immediatae operationis divinae: tantum sane auctoritati divinae tribuendum est, ut miraculum admittamus. Cum probabile omnino sit Deum in ipsis miraculis, quoad fieri possit, con-

Digitized by Google

conservare ordinem naturæ, agendum interpreti est, ne ulterius quam par est, amplioremque a legibus naturae recessum constituat, quam natura & indoles ipsius eventus exposcit. In lapsu coturnicum super castra hebraeorum in deserto contineri miraculum indubia res est. Sed si verum sit eo ipso tempore quo ibi morabantur judaei solere coturnicum transitum fieri, non videtur conveniens ut quis asserat de novo fuisse a Deo creatas, sed dumtaxat virtute Dei factum fuisse ut in eo loci omnes deciderent. Mirabilia etiam observanda illa sunt, quæ fortassis virtutem finitam minime excedunt, quae tamen sine Dei adprobatione contingere nequeunt. Translatio Habacuc facta per Angelum qui apprehensa illius coma ad Danielem perduxit, fieri potest ut angelicam non exsuperet virtutem, sed nusquam fieri poterat nisi adprobante Deo. Idem dicito de infortuniis quae sancto Jobo supervenerunt invidia diaboli. Hoc ex eo clare percipitur, quod ordo naturae firmus & stabilis, Deo sic disponente, conservari debet, unde nulla ei immutatio, nisi adprobante Dei voluntate, supervenire potest. Caeterum ad constabilienda etiam miracula ea regula generalis observanda est, qua instruimur instituendam esse comparationem seu parallelismum inter omnia testimonia, quae de iis agere videntur. In Psalmis & Canticis multa reperiuntur prodigia, quae a Deo per Mosem, aliosque sanctos viros patrata sunt, atque ita describuntur additis etiam peculiaribus circumstantiis ut miraculi naturam summopere confirment.

Superest ut in tradendis etiam regulis illis immoremur, quæ intelligentiæ inserviant prophetici sermonis, quo passim abundant Scripturae. Latiori quodam sensu hi libri omnes appellari possunt Prophetia cum ex Apostolo omnia veteribus contigerint in figura; sed hoc loco propheticum eum dicimus sermonem, quo immediate vatici-

vaticinia a sanctis scriptoribus proponuntur. In antecessum iuverit animadvertere, sub variis significationibus usurpatum saepe esse nomen Prophetae. Aliquando sumitur pro concionatore vel eo qui loquendo vices gerit alterius, & sub hac ratione intelligitur quod Deus *Exod. IV.* Mosi promisit futurum Aaronem prophetam ipsius Mosis, nempe pro eo locuturum coram Pharaonem. Saepe etiam indicat hominem in Dei laudibus decantandis peritissimum, & sub huiusmodi consideratione dicitur 1. *Reg. X.* Saulem una cum Prophetis prophetasse, idest concinisse laudes Dei peculiares non sine interna divina inspiratione, sicuti etiam *ibid. XVIII.* eumdem domi prophetasse, instrumentum modulante Davide. Dicebantur etiam Prophetae, qui legem, & Scripturarum doctrinam omnem caeteris enucleabant. Quapropter qui saepe in libris regum dicuntur filii idest discipuli prophetarum sunt ii qui sub prophetarum disciplina in cantu exercebantur, ac potissimum legi studebant, non vero quasi artem divinandi ab illis discerent, quemadmodum impii Scripturarum obtrectatores blasphemant. Prophetae isti vices supplebant Sacerdotum, quos interdum etiam obiurgabant a Deo permoti. Hac etiam ratione commodius per totam Palaestinae regionem doctrinam legis propagabatur. Denique in rigido sensu Propheta appellatur, cui futura hominibus omnino impervia a Deo manifestantur, vel etiam praesentia quae omnimodam creatae virtutis sagacitatem fugiant. Hinc sequitur prophetiae nomen ad plura destinari significanda, cum aliquando sumatur pro concione, pro studio & expositione legis, pro quadam exortatione, & cantus peritia; & ab Apostolo Paulo pro verbis consecrationis, ubi ait 1. *ad Timoth. IV.* 14. *noli negligere gratiam quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum praesbyterii*, & hoc apposite cum verba conse-

crationis

crationis, uti notat S. Thomas, significent etiam id quod efficiunt. Ibi loquitur de quadam gratia permanenti accepta in Presbyterii susceptione, quam Scolastici vocant sacramentalem, quam dederit prophetia coniuncta cum manuum impositione, idest a Christo institutum consecratorium verbum. Absolute tamen hoc nomen adtribuitur futurorum praedictioni, quae in causis naturalibus minime legi, neque ab illis argui ulla ratione possunt. Unde apud Huetium *defin.* 4. *Demonstr. Evang.* Prophetia definitur narratio rerum futurarum, quae nondum contingerant eo tempore quo prophetia illa edita est, quaeque ex naturalibus causis praevideri non possunt. Subiicit tamen dari posse prophetiam etiam circa praeterita & praesentia si naturaliter sciri nequeant, sicuti Eliseo innotuit pactum inter Naaman & servum suum Giezin. Huius loci non est propugnare nonnisi Deo convenire posse prophetiam prope dictam, ac signanter de futuris contingentibus. Legatur Isaias XLI. 22. *seq. & XLIV.* 7. Doctrina quoque Tertulliani *in Apolog. cap.* 20. Chrysostomus *hom.* 77. *in Joann.* inquit: *Deo maxime proprium est futura praedicere ;* & *hom.* 17. *hoc enim vel maxime Dei opus est, quod neque daemones imitari possunt, quamvis maiorem in modum nitantur*. Et revera non veretur Lucianus *in dialog. Junon. & Laton.* haec pronunciare: *Apollo simulat quidem omnia scire sese, & vaticinari, & erectis ratiocinandi tabernis, hic in Delphis, illic iu Claro, & Didymis, decipit consulentes se, obliqua & in utramque partem quaestionis propositae inclinantia respondendo, ne videlicet erroris possit damnari, atque ita ex hoc quaestum facit, & ditescit* Illius veritatis argumenta depromes ex Augustino *lib.* 12. *de Gen. ad lit.* ex S. Thoma *part.* 1. *quaest.* 68. *& alibi* ex citato Huetio *Dem. Evang. prop.* 9. ex Balto & Bergerio *loc. cit.* & ex aliis permultis.

tis. Erudite etiam de prophetiis agit Joann. Gottlob Carpzovius *Introd. ad libros prophet. Biblior.* Caeterum liberas hominum actiones quae futuro tempore exercendae sunt, nonnisi ille videre poterit qui absolutum supremumque dominium habeat super quaslibet omnium creaturarum facultates; quod quidem non obtinet nisi earumdem auctor, & conservator, qui cum sit Deus ipse, sequitur eum solummodo absque erroris formidine præscire posse quid acturus sit homo, unde qui certo enunciat futura hominum opera efficere id aliter non potest, quam per divinam revelationem. Sed haec ad Theologos. Videatur S. Thomas 2. 2. *quaest.* 171. *& seq.* quo nemo luculentius haec pertractat.

Esse e re nostra existimamus diligenter adnotare variis modis Deum penitus abdita & ignota sanctis Prophetis communicasse, ac diversimode ex ipsius Dei jussu vaticinia eosdem edidisse. Cum enim tres in homine ad cognoscendum distinguantur potentiae, sensus nimirum, imaginatio, & intellectus, sic S. Thomas *loc. cit.* cum Augustino & Isidoro triplicem adsignant modum quo Deus notitiam Prophetis communicat futurorum. Aliquando enim instruuntur per sensibilem aliquam repræsentationem, & per imagines sensibus corporeis obiectas. Hæ autem imagines cum imprimantur in vigilando dicuntur visiones; si autem imprimantur absque repraesentatione obiecti exterioris imaginationi seu phantasiæ tempore somni, dicuntur somnia. Datur quoque visio intellectualis, quæ non e sensu aut imaginatione oritur, sed immediate a lumine intellectui affuso proficiscitur, quatenus species intellecruales vel prorsus novæ, vel præesistentes quidem, sed elevatae tamen, ac supernaturali lumine collustratae intellectui nostro repraesentantur. Hinc intelligitur revelationum distinctio per visionem, per somnium, in aenigmate, per ecstasim, per allocutionem

nem. Revelatio facta per aenigma ea dicitur, quando quidpiam repraesentatur ut aliquod aliud intelligatur, quemadmodum cum Jeremias viderit *ollam* ferventem, & *virgam* vigilantem cap. I. 11. 12.; & Amos canistrum fructuum æstivorum ap. VIII. 2. Ænigmata etiam fere omnia sunt quae vidit Joannes in Apocalypsi, quæ aliud offerunt, aliud innuunt. Aliquando prophetabant sancti viri per actiones quasdam peculiares ipsis a Deo impositas, uti discurrendi velociter per urbes, sese populo ostendendi seminudos, & alia huiusmodi, & interdum recreabantur a Deo quibusdam visionibus omnino abstracti a sensibus, ut sine eorum ministerio notitiam reciperent ignotae rei. Caeterum, ut docet S. Thomas, aliqua ratione prophetare possunt etiam daemones manifestando ea quæ remota sunt ab hominum cognitione, ipsis tamen explorata, sed hoc ut dictum est de miraculis, contingere nequit nisi annuente Deo; atque illa quæ simpliciter ac maxime remota sunt, inter quæ praecipue continentur actiones quæ dependent a libero hominis arbitrio, cum nemo dignoscat præter Deum, nullus etiam praedicit, nisi a Deo ipso instructus. Ex hac doctrina consequitur sane nullas dari ad prophetandum naturales dispositiones (*a*), licet fieri potuerit ut juvenes a Pro-

(*a*) Iniuriosa plane Josephi sanctitati, ac omni prorsus fundamento destituta est opinio quorumdam male feriati animi, qui putant tradi a Scripturis virtute & opera scyphi seu paterae more gentilium ac praesertim chaldaeorum vaticinatum fuisse sanctum Patriarcham, *Genes. XLIV.* Joannes Franc. Buddeus *sect.* 3. *hist. Eccl. V. T.* observat particulam *beth* non tantum significare instrumentum, sed & obiectum, unde sensum verborum genuinum ita resultare: *annon hic est ille scyphus, e quo bibere solet dominus meus, & nonne divinando facile coniectaret de eo, furto*

 scilicet

a Prophetis eruditi de coelesti doctrina ac vitae sanctimonia praestantes, vacando sanctis meditationibus circa Dei adtributa, celebrando Dei beneficia jungendo preces cum musica & cantu, fuerint etiam collustrati prophetico lumine, quod etiam dici potest contigisse Sauli loco superius citato. Moses, Anna, Ezechias, David, & alii multi occupati per divinam inspirationem in pangendis carminibus circa Dei adtributa ac potissimum omnipotentiam, justitiam, misericordiam, & amorem, cumulabatur etiam alia speciali gratia prophetici luminis, quo fiebat ut in hymnis suis & sub modulatione instrumentorum etiam prophetarent. Componi, ac magis per musicam tranquillum reddi animum exploratum est; cumque hoc studj genus frequentissimum fuerit inter hebraeos, nil mirum si sancti viri ad compescendos adfectus hoc medio usi fuerint atque huic curae successerit divina collustratio. Huius rei documentum praebet Eliseus 4. *Reg.* III. 15. qui commotam ira mentem, fidicine accersito,

scilicet eum sibi ablatum, & a quo sive a quibus sit factum? Explicationem hanc confirmare videtur verba ipsius Josephi vr. 15., cur sic agere voluistis, an non nostis quod divinando divinet vir, qui est similis mei? seu, nonne novistis quod augurando augurabitur vir, qui sicut ego? videlicet nulla facta mentione scyphi neminem Josepho ipso facilius occulta patefacere. Recte itaque subiungit Buddeus, imprudentiam Josephi Fratribus generatim exprobrat oeconomus, quod putarint, virum tam prudentem & sagacem non statim furtum illorum deprehensurum. Et certe si sine illo scypho divinandi scientia defecisset, optimum erat cuicumque furi, ut eumdem auferret, ut furti auctor ignoraretur. Allatis verbis eumdem pene sensum reddi posse censet etiam Calmetus, si immutentur vocales. Sed immerito, cum ea lectio admitti posse ab omnibus, quibus peculiaris syntaxis, & idiotismi hebraicae linguae perspecti sint.

cersito, sedabat prius quam propheticum reciperet influxum. Vaticinia commendant maxime divinam sapientiam eiusque diligentissimam curam pro hominum salute. Veteres in complemento oraculorum quod contigit illorum aetate firmabantur in fide, & argumentum desumere poterant certissime eventura quae complenda erant post longum tempus. Nos vero luculentissimum per prophetias habemus testimonium nostrae religionis, eo quod evenisse intueamur, *sicut locutus est* Deus, inquit Zacharias, *per os sanctorum qui a saeculo sunt, prophetarum eius*.

Ad intelligentiam prophetici sermonis cavendum primo est, ne cum hebraeis prophetica dicta ita ad literalem sensum transferamus, ut Christo aptare renuemus juxta auctoris intentione. In hoc plurimum peccant & protestantium non pauci cum Grotio, qui multis in locis vident tantum vel Nabuccum, vel Senacheribum, Davidem, Salomonem, Ezechiam, & alios. Hebraeorum vetustissimi ante Christum nequaquam ita censuerunt. In autem facili negotio evincitur, ubi quæ dicuntur, nulli hominum, quam Christo convenire perspicuum sit. Sic in Psalmo LXXXVIII. quae a Davide praedicuntur, non omnia Salomoni quadrare queunt. Legatur Augustinus *lib.* 2. *contra Faust.* quamquam vero de hac veritate ambigi nequeat, oportet quoque ut caveamus ne omnia ad Christi vaticinia referre nitamur. Licet enim cuncta in Scripturis sub aliquo respectu, uti supra monuimus dum ageretur de mystico sensu, Christum respiciant, attamen sicut plura historice non dicuntur directe de Christo, ita & nonnullae prophetiae, quae reapse alios eventus indicabant. Exemplo sint ea quae Isaias & Ezechiel antenunciant de onere & destructione Babylonis, & alia huiusmodi. Unde inquit Hieronymus *super Malach. cap.* 1. *regula Scripturarum*

Digitized by Google

est ubi manifestissima prophetia de futuris texitur, per incerta allegoriae non extenuare, quae scripta sunt apposite huic regulae loquitur Isidorus Perustiota *lib.* 3. *epist.* 339. *quemadmodum gentiles, & judaeos, & si qui sunt, qui eorum dogmata consectentur, impios & vecordes esse statuto, quod Prophetas nihil de Salvatore locutos esse pronunciant, eodem modo eos, qui universum vetus Testamentum ad ipsum transferre conantur, culpa minime carere sentio; ut qui in ea pugna, quam adversum eos ineunt, adversarios adiuvent. Ita non facere convenit; ea quidem quae ad eum aperte spectant, de quibus dicta sunt, dicta esse sinere.* Idipsum fatetur Augustinus *lib.* 17. *de Civ. Dei cap.* 5. & concludit: *tripartita itaque repriuntur eloquia Prophetarum; siquidem aliqua ad terrenam Jerusalem spectantia, aliqua ad coelestem, nonnulla ad utramque.* Legatur Gregorius *hom. in Ezech.*, Basilius *prolog. in Isaiam*, Theodoretus *prol. in Daniel.* Porro in celebri Danielis vaticinio de septuaginta hebdomadibus praedicitur etiam solutio captivitatis, & Hierosolimae ædificatio. Hinc docet Bezange, occurrente aliquo textu, ex quo perspicue non colligatur, de quonam rege Propheta loquatur, conferenda sunt ea, quae ex historia sacra constant cum ipsius Prophetae verbis, quae si ex asse huic vel alteri regi congruant, de illo ad literam intelligi possunt, licet non omisso altiori & mystico sensu. E contra literalis etiam sensus haud dubie non alium quam Christum spectant. Necesse tamen est ut non solum veteris historia nota sit, sed etiam vita Christi seu historia Evangelica. Consulendi etiam sunt sancti Patres, & animadvertendae boni interpretis opiniones. Ubi vero a Prophetis formae quaedam & species Deo tribuuntur, finis potissimum attendendus est, ob quem huiusmodi species eorum menti obiecta fuerit, quod ex contextu facile colligi potest.

Si

Si vulgaris etiam notio, quae formae illi respondent, spectanda est, ut eruatur quid sibi proposuerit Sanctus Spiritus. Currus tribui potest Deo tamquam victori & sponso, desumpta similitudine a veterum moribus. Hac ratione intelligitur illud Cantici I. 9. *equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica*. Nomen virgæ sumitur pro gubernio, vel miti, vel durissimo. De priore est illud Psalmi XXII. 4. *virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt*. Gladius divinam justitiam, arcus vim ultricem. Per nomen exercitus designatur etiam ordo & dispositio syderum. Cor significare potest voluntatem, studium, & adfectum. Docet Joannes Driedo *lib.* 3. *de regul. sacr. Script. cap.* 2. morem esse Prophetarum qui saeculi hujus historiam aut praesentem aut praeteritam narrant, aut futuram praenunciant, subiungere prophetiam de Christi regno, & Ecclesia illius. Hoc hæretici quidam non animadvertentes arbitrati sunt, propheticum spiritum non constare sibi, & Prophetas more lymphaticorum, temere de una sententia in aliam prorsus separatam rapi; sed errant profecto: non considerantes, prophetiæ spiritum rem aperire figuratam post sensum literalem. Legatur Salmeronius *proleg.* 10. *cap.* 41. Quasi ergo ab instituto digredi videntur interdum Prophetae, & mox eo recurrunt, unde discesserant. Neque id importune. Quemadmodum, inquit Ribera *Comment. in cap.* 2. *Oseae*, cordati homines, cum diversa dicere parant, & proposito sermoni non convenientia, non subito dicunt, sed, quomodo possunt, connectunt, & verbis ad ea viam muniunt, ne, ut dicitur, extra chorum saltare videantur, aut qui audiunt. Dixerat Oseas I. 9. *seq. quia vos populus meus, & ego non ero vester:* sed nequis putaret, non præstiturum Deum, quod Abrahae de filiorum multitudine promisit; hinc transit ad Christum abrepta occasione, ac prædicit

fore tantum numerum credentium Evangelio, ut numerari nequeant. Post hanc futuri temporis promissionem, iterum ut par erat, redit ad praesens ll. 1.: *dicite fratribus vestris &c.* idest, scitote, hos quos reieci, aliquando populum meum futuros. Legatur Hieronymus Pradus *Isagog. in Ezech. sect.* 5. ubi refutat Theodorum Mopsuestenum, qui huiusmodi digressiones in Prophetis contempserat, proindeque etiam ob eam causam damnatus est a Vigilio Papa in Concilio Romano.

Tria potissimum Prophetae de Christo praedicunt, quod lator esset futurus legis novae, redemptor noster per meritum suae passionis, & mortis destructor per gloriam suae resurrectionis. Duplicem illius naturam indicitant, frequentius tamen humanam. Legatur Chrysostomus *expos. in Ps.* 44. Felicitatem spiritualem sub Evangelio adumbrant similitudine auri, argenti, vitri, olei &c. Quae loquuntur de Christo, aliquando indicant ipsum solum, qui est caput Ecclesiae, aliquando de capite & corpore simul intelligi debent, aliquando de solo corpore, idest de Ecclesia. Pro praeterito usurpant saepe tempus praesens, & imperativum, & de uno in alterum transeunt quod elegans est in hebraica lingua. Vox *hodie* non raro sumitur pro tempore illo, quod moraliter praesens existimatur, ideoque si cum præterito jungitur, designat id quod futurum expectatur; vox vero *aeternum* indicat etiam tempus diuturnum. Civitatum ruinam indicant aliquando sub defectu vini, & olei, sicuti & sub siccitate, ariditate, veprium & tribulorum copia, & belluarum commoratione, sicuti in illo Jeremiae Thren. IV. 3. *sed & lamiæ nudaverunt mammas, lactaverunt catulos suos*, idest Jerusalem ita devastandam ut intra lapidum maceriem nidum suum absque timore constructuras feras. Idem ex defectu armentorum, & nubilo sole. E contra tranquillitatem praenun-

Digitized by Google

nunciant ex fœcunditate terrae, ex portis apertis, ex minime necessario murorum ambitu, ex communi laetitia. A columba desumunt saepe similitudines, nimirum a colore, voce, pennis, volatu, sede, simplicitate, & fide coniugali. In Psalmo LVII. impius qui rennuit percipere veritatem comparatur aspidi surdae, & incantatæ. Ex indole etiam quamplurium animalium similitudines eliciunt, quam deprehendes ex Samuele Bocharto *in tract. de animal. quæ memorantur in Script.* Malachias similitudinem captat ex herba fullonum, ea nimirum qua fullones utuntur in eluendis maculis. Si prophetia imaginum enumeratione absolvatur, adfuturum ex imaginibus, quibus tegitur, eruendum, opus est ut possibiles cuiusvis imaginis significatus, quos vi caracterum suorum admittere potest, detegantur; ac inventi inter se conferantur, & seligatur significatio illa, quae maximam omnium habeat connexionem cum scopo Prophetae. Cum nonnulla vaticinia tempori accomodentur, quo edita fuerunt, & statui auctoris qui ea proposuerit, sollicite notandum est tempus, quo vaticinium prolatum fuit, & investigandus status ipsius Prophetae. Caeterum si in qualibet Scripturarum interpretatione Ecclesiae judicio obtemperandum est, eo vel magis & vaticiniorum propter illorum obscuritatem. Sed hactenus de peculiaribus hisce regulis.

Una tantummodo superest proponenda regula universalis ad Scripturarum intelligentiam, quam summopere commendant nedum sancti Ecclesiae Patres, & catholicorum optimae notae interpretes, sed & Scripturarum oracula; quam proponere existimamus eisdem pene verbis, quibus in ea adsignanda utitur celebris Mabillonius in aureo libro *de studiis monast. tract.* 1. *cap.* 2. §. 3. Vult siquidem doctissimus vir ut ad lectionem Scripturæ accedamus eo spiritu quo facta est, hoc est juxta finem ac propositum Dei eam nobis revelantis. Equidem ipse

nil

nil aliud plane intendit, nisi suimet, propriaeque veritatis manifestationem, & viatoribus semitam ostendere ad semetipsum tamdiu investigandum, donec inveniant; & ideo spiritualis fervor, quo divina Scriptura legenda est, eo praesertim tendere debet, ut Deum ipsum in terris agnoscamus fideique nostræ mysteria, & nos metipsos; indeque modum discamus recta ad eum proficiscendi, rebusque creatis utendi; demum quod in huiusmodi lectione simplicem tantum veritatem ac justitiam inquiramus per charitatis, caeterarumque virtutum exercitium. Inquit enim S. Bernardus *serm. 62. in cant.* Impuris non se ostendit veritas, non se credit sapientia; superbo oculo ea non videtur, sincero patet; nec enim est quod veritas se deneget intuendam puro cordi, sicuti nec eloquendam. Utinam nostri aevi catholici homines, ac præsertim qui in sacrorum ministerio versantur, posthabita philosophia illa quam merito vocat Apostolus inanem ac fallacem, & insimul doctam fabulam, idest emendatis coloribus calamistratam, quæ nedum spiritualis Ecclesiae regni fundamenta omnia convellit, hominisque meliorem partem caeterarum creaturarum miserrimam reddit, sed & quamlibet humanam societatem evertit, nullamque extruere valet, hisce acquisitis dispositionibus muniti ad contemplandam summo & incredibili studio se conferrent Scripturarum sapientiam, ut ad obediendum intemeratae Ecclesiae doctrinæ magis confirment se, atque ita quae Deo, sibi, caeterisque praestanda sunt officia, jugiter alacrique animo perfecte exequantur.

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX RERUM.

Ægyptiaca versio Scripturae *pag.* 51.
Æthiopica versio 51.
Antiquitatum hebraicarum præcipui tractatores 166.
Apologetici S. Scripturæ auctores potiores 167. *seq.*
Aquilæ versio 63.
Arabicæ versiones 51.
Aristææ narratio de LXX. Interpretibus 52. *seq.* supposititia est, & inter fabulas amandanda 54. *seqq.* illius auctor fuit judæus 56.
Biblia, *vide* Scripturæ Sacræ.
Cabala judaica seu Misna 107.
Canon quid 18.
Canon Scripturar. Catholicæ Ecclesiæ 18. *seqq.* illius primi instructores 18. 19. judaicum Scripturar. ante Talmudem an extiterit 25. *seqq.* sæpe immutatus a judæis fuit 27. *seq.*
Chaldaicæ paraphrases post babylonicam captivitatem apud hebræos invaluerunt 43. *seq.*
Chaldaica paraphrasis Onchelosi 45. *seq.* Jonathanis 46. *seq.* Jerosolymitana 48.
Commentarii biblici judæorum, seu Peruscim 114. *seq.* 121. eorum utilitas 115. *seq.*
Conceptionis B. M. V. mysterium illustratur 150. *seq.*
Consonæ literæ in hebr. textu haud immutandæ 205.
Coptica versio 51.
Creationis mundi historia, seu Gen. I. exponitur 192. *seqq.*
Deus quomodo sacris scriptoribus adfuit 14. *seqq.*
Deuterocanonici libri sacri qui 19 cur antiquorum aliqui eos non exceperint 20. *seqq.* cur apud judæos interierint 32. *seq.* illi judæis incogniti non fuerunt 33.
Ecclesiæ Catholicæ auctoritas in efformando canone Scripturarum 21. *seqq.*
Ecclesiastici liber ut canonicus a S. Augustino exceptus 35.
Esdras canonem judaicum Scripturarum non construxit 30.
Genesis historia creationis mundi exposita 192. *seqq.*
Ghemara quid 107. *seq.* ejus quarti ordinis libri enumerantur 108. *seq.*
Gothica versio 51.
Graecæ versiones 52. *seqq.* Septuaginta, *vide* Septuag nta 52. *seqq.* Aquilæ 63. *seq.* Theodotionis 64. Symmachi 64. Ierichuntina 65. Nicopolitana 65.
Haphtaræ, seu propheticæ lectiones 59.
Hebraicus textus Bibliorum, *vide* Textus.
Hebraicæ linguæ peritia Theologo necessaria 85. *seqq.* ea ad plenam novi Test. intelligentiam plurimum confert 91. *seq.*
Hebraicæ locutiones nonnullae explicantur 92. *seqq.* 149. *seq.* 151. *seqq.*
Hieronymiana versio S. Scripturæ 66. *seqq.* non omnes complectitur

ditur veteris Test. libros 68.

Hieronymus novi Test. latinam versionem emendavit 68. Deo afflante versionem suam haud conscripsit 68. ejusdem doctrina celebratur 66. ejus sententiæ libris Deuterocanonicis haud nocent 37. *seqq.*

Hermeneuticæ sacræ regulæ, *vide* Interpres sacer

Idiotismi hebraici aliqui explicantur 92. *seqq.* 149. *seq.* 151. *seqq.*

Jeremiæ liber tempore Apostolorum Isaiam antecedebat 27. *seq.*

Jerichuntina versio graeca 65.

Indica versio 51.

Interpres infallibilis Scripturarum in Ecclesia semper necessarius est 129. *seqq.*

Interpres sacer quibus notitiis ac scientiis pollere debet 163. *seqq.* ejusdem munera 163. *seqq.* Regulae nonnullae ab eo tenendae 168. 176. 177. 182. *seqq.* 186. 196. 199. 200. 237. *seqq. usque ad finem operis*.

Interpretes sacri recentiores præcipui, & de iis judicia 201. *seqq.*

Interrogationis signum quando suppleri possit in libris V.T. 148.

S. Joseph patriarcha non per scyphum vaticinatus est 249. *seq.*

Josephi Flavii auctoritas libris Deuterocanonicis non nocet 33. *seqq.*

Itala vetus S. Script. versio 66.

Justini martyris de 70. Interpp. & cellulis deceptio 54. *seqq.*

Latinae versiones S. Script. 65. *seqq.* vetus Itala 66. Hieronymiana 66. *seqq.* Vulgata, *vide* Vulgata, 69. *seqq.*

Linguæ hebraicæ studium Theologo necessarium 85. *seqq.* ejusdem peritia ad plene intelligendum N.T admodum juvat 91. *seq.* ejusdem studium ab Ecclesia laudatum 95.

Linguæ græcæ cognitio ad N.T. explicandum convenit 94.

Misna judaeorum 107. eius aetas & auctor 112.

Moscovitica versio S. Script. 52.

Nicopolitana versio graeca 65.

Ordo rerum servandus ab omnibus creaturis 3.

Orientales versiones S. Script. 41. *seqq.* Samaritana 42. *seq.* Chaldaicae 43. *seqq.* Syriaca 49 *seqq.* Arabica 51. aliae 51.

Origenis Tetrapla, Hexapla, & Octapla 96.

Pagnini Sanctis versio latina Bibliorum 105. *seqq.*

SS. Patrum auctoritas in S. Script. explanatione venerari debet, & excipi 186. *seqq.* expositiones mysticae saepissime tenendae 196. *seq.* 214. 221. interpretatio quaelibet Scriptur. minus recta dilacerari non debet 187. *seqq.* 204. *seqq.* quando ab alicuius S. Patris sententia discedi possit 187. *seqq.* aliquorum ex eis auctoritas libris Deuterocanonicis haud nocet 35.

Persica versio 51.

Philosophorum ethices melioris frugis a S. Scriptura profluxit 6.

Polyglotta Biblia quae 96. Complutensia seu Ximenii 97. *seq.* Regia, seu Philippi II. 98, *seq.* Parisiensia, seu de le Iay 100. *seqq.*

Lon-

Digitized by Google

Londinensia, seu Waltoni 101. *seqq.* Vatabli, & Hutteri 103. *seqq.*
Protocanonici libri sacri qui 19.
Rabbini Bibliorum Commentatores, eorumque utilitas 114. *seqq.* 121. R. Salomon Jarchi 117. R. David Chimchi 117. *seq.* R. Aben Esdras 118. *seq.* R. Moses Maimonides 119. *seq.* R. Isaac Abarbanel 120. *seq.*
Ratio humana ex se ipsa impotens est ad cognoscenda officia omnia erga Deum & homines 2. *seqq.*
Revelationis divinæ necessitas 1. *s.*
Samaritanus Pentateuchus 42. *seq.*
Sapientiæ liber a S. Augustino canonicus habitus 35. *seq.*
Scriptoribus sacris quomodo Deus adfuit 14. *seqq.*
Scripturæ sacræ a Deo tamquam auctore prodierunt 10. earum præstantia, & divina auctoritas 10 *seqq.* varia nomina 16. *seq.* obscurae sunt 122. *seqq.* 137. *seqq.* infallibili interprete in Ecclesia egent 122. *seqq.* 169. *seqq.* obscuritatis causæ 140. 147. *seqq.* quare in eis discissus orationis ordo videatur 143. *seq.* 146. *seqq.* earumdem interpretatio per privatos homines, quamvis eruditos, fidei morumque regula esse nequit 125. *seqq.* earum quæcumque privata interpretatio omnimodam fidem non meretur 137. eloquentissimæ sunt 156. *seqq.* earumdem stylus 141. *seqq.* Christum ubique intendunt 211. *seqq.* earum sensus, *vide* Sensus.
Sensus S. Scriptur. quid, & quotuplex 210. *seqq.* mysticus 211. *seqq.* mysticus quotuplex sit 216. *seqq.* mysticus non excogitatus est a Scholasticis 218. *seqq.* 221. mysticus super literali sensu inniti oportet 220. mystici plures ex unico literali sensu elici possunt 222 *seq.* literalis 215. *seqq.* literalis unicus in quavis propositione est 226. *seqq.* quomodo Theologus literali, & mystico sensu uti debet 233. *seq.* accommodatitius 234. *seqq.*
Septuaginta virorum versio 52. *seqq.* Aristææ & Justini de hac historiae repudiantur 54. *seqq.* quot ejusdem versionis auctores fuerint ambigitur 57. varii auctores variis temporibus eam concinnarunt 58. afflante Deo exarata non fuit 59. *seqq.* per eam Evangelium gentibus patuit 62.
Symmachi versio graeca 64.
Synagoga magna hebraeorum judaicum canonem non efformavit 25. *seqq.* an illa extiterit post captivitatem 26. *seqq.*
Syriaca versio 49. *seqq.*
Talmud quid significet 106. ejus nomina 106. *seq.* dividitur in Misnam, & Ghemaram 107. Jerosolymitanum, & Babylonicum 113. Misnae aetas, & auctor 112. Talmudis Commentatores 113. ejus lectio an utilis Christianis sit 109. *seq.*
Targum quid significet 43. *vide* Chaldaicæ Paraphrases.
Testamenti novi scriptores in obscuris sententiis quomodo ex hebraica lingua explicandi sint 94. 149.

Digitized by Google

149. *seq.* idiotismis hebraicis sæpe utuntur 91. *seqq.*
Textus hebraicus S. Scripturæ supra quamlibet versionem conlocandus est 80. appellatur hebraica veritas, autographus, fons hebraicus, & textus originarius 80. integer & incorruptus est 80. *seqq.*
Theodotionis versio græca 64.
Traditio circa Scripturæ sensum est in Ecclesia 169. *seqq.*
Traditiones sacrae hebræorum tempore Christi vigebant adhuc 107. mixtæ tamen cum humanis 108.
Tridentina Synodus qua ratione authenticam Vulgatam declaravit 70. *seqq.*
Versiones S. Scripturæ orientales, & aliae 41. *seqq.* graecae 52. *seqq.* latinae 65. *seqq.* Versionum utilitas & usus 76. *seqq.*
Vocalia puncta in hebraico textu non sunt immutanda 205. *seq.*
Vulgata versio latina 69. *seqq.* quomodo authentica definita fuit ab Ecclesia 69. *seqq.* parem dignitatem cum hebraico textu non habet 69. *seqq.* Spiritu Sancto afflante exarata non est 71. *seqq.* super hebraico textu concinnata est 75. expurgata saepius a Summis Pontificibus fuit 75. aliqua menda continet 71. *seqq.*

Digitized by Google

ERRATA SIC CORRIGITO.

Pag. 36. *lin.* 29. *in paucis exemplaribus* sublecta, *corr.* sublesta. p. 57. *l. ult.* Miinter — Munter. p. 63. *l.* 24. praeditiones — praedictiones. ib. *l.* 29., p. 64. *l.* 12. 28., p. 96. *l.* 16. exapla, exaplis — hexapla, hexaplis. p. 63. *l.* 32. contensiose — contentiose. p. 64. *l.* 7. Jeronymi — Hieronymi. ib. *l.* 8. obsolutum — absolutum. ib. *l.* 9. Episanii — Epiphanii. ib. *l.* 16. Hontingerus — Hottingerus. ib. *l.* 21. fuit Theotion — Fuit Theodotion. p. 65. *l.* 4. Jerico, Jericuntina — Jericho, Jerichuntina. ib. *l.* 11. appellant — appellat. p. 66. *l.* 20. agressus — adgressus. p. 68. *l.* 7. adderet — ederet. p. 70. *l.* 2. adeptam — ademptam. ib. *l.* 5. vulgate — vulgatae. ib. *l.* 17. *& in aliquibus aliis locis* Frasserius — Frassenius. p. 71. *l.* 14. una — ut una. ib. *l.* 15. proprius — propius. p. 72. *l.* 19. quae — Quae. p. 75. *l. ult.* aduc — adhuc p. 142. *l.* 9. libris — libros. p. 201. *l.* 12. Stauchus — Steuchus. ib. *l.* 17. Gineda — Pineda. p. 214. *l.* 5. Verum — verum. p. 216. *l.* 8. fluctuum — fluctuum,. p. 217. *l.* 10. liberaliter — literaliter. p. 221. *l.* 15. intelligendam — intelligentiam. p. 223. *l.* 26. religiosus — religiosius. ib. *l. ult.* veteri — veri. p. 226. *l.* 10. *& alibi* scolastici — scholastici. p. 229. *l.* 18. nisi — Nisi. p. 230. *l.* 22. duplici — pro duplici. p. 232. *l.* 33. adtributis — adtribuitis. p. 233. *l.* 2. quoniam — quonam. p. 235 *l.* 1. audientibus — audientes. p. 237. *l.* 8. juxta — justa. p. 239. *l.* 3. oportere in — oportere. In. ib. *l.* 27. Sanior — Sirion, & Schenir. p. 241. *l. ult.* ut dicitur — ut ubi dicitur. p. 243. *l.* 5. comminationis — comminationes. ib. *l.* 6. habeat — habeant. ib. *l.* 8. ad — Ad. ib. *l.* 32. Vergerius — Bergerius. p. 244. *l.* 16. apparet — apparet nexus. p. 245. *l.* 32. prophetia — prophetia,. p. 249. *l* 5. ap. — cap. p. 250. *l.* 10. cumulabatur — cumulabantur. ib. *l.* 32. posse — possit. p. 251. *l.* 15. intentione — intentionem. ib. *l.* 20. In — Id. ib. *l.* 24. quamquam — Quamquam. p. 252. *l.* 3. apposite — Apposite. ib. Pelustiota — Pelusiota ib. *l.* 6. statuto — statuo. p. 253. *l.* 1. respondent — respondet. ib. *l.* 31. vos populus — vos non populus. p. 255. *l.* 12. adfuturum — ad futurum. p. 256. *l.* 19. emendatis — ementitis.

Caetera levioris momenti Lector benevolus per se corriget.

Digitized by Google

Digitized by Google

005664209

Digitized by Google

KONSERVIERT DURCH
ÖSTERREICHISCHE FLORENZHILFE
WIEN 1967